













ΧΡΙΣΙΣ

IANI PHAOSPHORI.

IN QVA SCHENCKELIVS illustratur, Mnemonicæ dignitas, vsus, virtutes, effectus; ratione, authoritate, experientia, exemplis probantur.



LVGDVNI,


Apud Bartholomæum Vincentium.

M.DC.XIX.

Cum Priuilegio Cæsareo & Gall. Regis.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE





GENERIS ANTIQVITATE, VIRTVTIS splendore, Doctrinæque ornamentis nobili admodum, ac Generoso D. Domino Georgio Hilmaro de Vvense, Equiti Lunæburgico. S. D. I. P. G.

NIHIL est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum, quam qui adeptus est, vbicunque erit gentium diligetur. *Quod Tullij dictum quàm Socraticum sit in Te,* Excellentissime Domine, *meridiana luce clariùs patet. Nam vbicunque terrarum adhuc versatus fueris, omnium animos filo virtutis in Tui amorem traxisti, omnium oculos in Te, ceu in exiguum cunctarum virtutum speculum conuertisti. Testis est Tua infantilis, & puerilis quodammodo ætas, in qua mentes omnium condiscipulorum, nobilium, magnatumque in Tui admirationem iuxta ac amorem rapuisti. Testis est hæc ipsa*

Tua florentissima annis adolescentiâ, prudentiâ senectus summa, in qua totus flos nobilitatis Te admiratur, Te suspicit, Te tanquam cynosuram rectæ beataque vitæ sequitur. Quibus & ego allectus, Te non amare. Tuas laudes non deprædicare, Tua dona non admirari, suspicere, atque in cœlum vsque extollere, nec potui, nec debui.

Nam vbi hanc vrbem attigi, contigit in frequenti corona gente & mente nobilium, in qua Tu sicut Luna inter ignes minores lucebas, vt & ego qui humilior in Tui notitiam aduenissem, ad quam confirmandam me indignum, quâ es humanitate, inuitasti, hanc ne negligerem, frequentibus actibus, Tibi meum obsequium offerendo, eam confirmare, corroborare, atque stabilire, studui. Hoc quoties fe[illegible], toties tanta comitate, beneuolentia, liberalitatéque me suscepisti, vt semper maioribus cumulatus beneficiis à Te recesserim meditabundus, qui aliquod grati animi mei τεχμήειον Tibi rependerè possem. Rectè tandem res cecidit, Bibliopolam Lugdunensem per crebriores litteras à me efflagitare, vt nonnihil lucis Schenckelianis obscuritatibus adferrem, quem laborem hoc aggressus sum alacriùs, quòd me memorem monstrandi Tui, Tuorúmque meritorum, id tempestatis inuenirem

mirem

nirem aliam nullam. Accipe igitur ac in Tuam tutelam ſuſcipe hoc quale quale meũ erga Te obſeruantiæ ſymbolum exiguum.

(donec quid grandius ætas
Poſtera, ſorſque ferat melior)

Accipe, inquam, hunc meum laborem, ac eum prudẽtiæ ſcientiæque Tuæ staterâ põdera, quibus quantum valeas quis eſt qui ignorat? (modo Te non ignoret) Vt enim de perfecta cognitione diuerſorũ idiomatum, quibus ceu floſculis pulcherrimis ornatus, ſileam; vt de diuerſis ſcientiis, quibus ceu gemmis pretioſiſſimis, ſplendes, nihil dicam; vt omnes artes ſeu exercitia nobili homine comprimis digna, quibus vnus ferè excellis, prætercam, ac de ſtudio duntaxat Iuris & æqui nonnihil inſinuem, quod Tibi ἔργον, *vt ille loquitur,* κỳ ἕτερα πάρεργα *ſunt. Quare rectiſſimè illud Athen. in Te quadrat* νόμων ἐμπειρίᾳ οὐδενὸς δεύτερος. *Quis Te diligẽtiùs in hiſtorias atque antiquitates incumbit? Quis Te maiori conatu in ius quà priuatum, quà commune, quà politicum fertur? Sed quæ obſecro horum ornamentorum cauſa? hæc tuus labor, tua diligentia, tua in ſtudiis aſſiduitas,* πόνος εὐκλείας πατὴρ. *Eurip. quem nunquam ſol in lecto, nunquam ego, niſi vel in libris, vel in alio honeſto exercitio occupatum inueni, quî*

ſæpe vna alterave hebdomada pedem domo non extuliſti, vt ne ob popularem comunémque auram à ſublimioribus, hominéque dignioribus avocareris occupationibus. Quid multis? cum pluribus cuiuſcunque conditionis egi, converſatúſque ſum Tuæ ætatis; ſed Tibi, vt veritati teſtimonium præbeam, naturæ & adſcitiis bonis comparandum inveni neminem. Gratulor igitur Tibi, mihi, Parentibus, Patriæ. Tibi, *quòd Deus & natura ſe tibi tam benevolos præſtitere, & in Te tanquam in gemma Cleopatræ totius quaſi naturæ perfectionem incluſere.* Mihi, *quòd Te mihi faventem, Patronum ac Mecœnatem conceſſere.* Parentibus, *quòd tam rarum exemplum produxêre. Sed ecce tibi? quid eminus video? hortum quam ſpatioſum? quot præſtantiſſimis arboribus, quot ſalutiferis herbis, quot amœniſſimis floribus ornatum? Quis locus ille? naturæne, artis, aut divinum opus? divinum planè, natura, arteque colluſtratum. Ingrediarne? ſed in ſuæ me præſtantiæ abripiet contemplationem, vt mei oblitus, nec progredi, nec regredi valeam. Citatone equo, admiſſis calcaribus, laxata habena, cũ volitantibus, rotatiſque oculis pererrabo? Sed ſic nihil certi dignique reportabo. Per tranſennam ſingula ſeorſim paululum intuebor?*

ſed

ſed nec ſic ad exitum in tanta multitudine, & vaſtitate peruenia͂. At quod obſecro viridarium illud? quod hoc florilegium? qui ille paradiſus? Hic eſt campus ille latiſſimus maximarum, præclariſſimarúmque virtutum Generoſi ac ſtrenui parentis Tui D. Domini Vvilelmi de Vuenſe, *quas ſi non pro dignitate dicendo exornare, ſed percurrendo ſtrictim recenſere velim, quis epiſtolæ meæ finis? Quantum in ipſius Aſiæ, Africæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Germaniæ, ſumma penè totius huius Vniuerſitatis duodecim annorum peregrinatione, prætereundum? Qua͂tum in ipſius peritia diuerſarum linguarum ac moru͂ dicendum? Quam longè in illius officia, miſſiones, legationes Principu͂, Ducum, Regúmque excurrendum? Riphæi montes, Polus Antarcticus, angulique ipſi extremi totius mundi adeundi eſſent. Annon ſumma cum laude munus Præfecti Aulæ apud Potentiſſimum Regem Daniæ obierit? Annon Potentiſſimus Rex Angliæ Iacobus eum item Præfectum Regiæ ſuæ præfecerit? Quo in officio ita præclarè ſe geſſit, vt vterque Rex ei gratificari quàm maximè geſtiat. Sed ne ca͂cellos mei propoſiti tranſgrediar, plura non perſequar.*

At inquis, eccur Patriæ? *anne ego ad*

dignitates aspiro? anne publica munia ambio? anne officia prenso? minimè gentium. Scio enim Te hæc, qua es animi modestia fugere, scio inquam Tibi nihil antiquius, quàm in honesta quiete, laudabili otio, propriisque studiis viuere. At hi sunt qui à rectè constituto Imperio, optimè administrato Regno, benè ordinata Republica inquiruntur, dignique ad maxima quæque munia obeunda iudicantur: siquidem vt vmbra corpus, sic virtutem suus sequitur honos & dignitas. Fœlix tandem illa Patria, fœlices illæ ciuitates, fœlix illud Regnum quod à Tui similibus administrabitur, quæ omnia tam ego Tibi opto, quàm Tu ea non expectas: tam Tibi polliceor ac prædico, quàm ex vlla coniectura futura, ex vlla causa effectus prædici possint, modò Deus Tibi huius lucis vsuram, quod spero & opto, concesserit longæuam. *Auarici Biturigum* DII KAL. IVLII. *Anni* CIↃIↃCXIX.

XPIΣIΣ



ΧΡΙΣΙΣ

IANI PHAOSPHORI.

LAMBERTVS SCHENCKELIVS magis Empyricus, quam rationalis ac Methodicus de Mnemonica locali tractaturus, multa præsupponit, multis in controuersiam vocata. vt Primò.

An sit aliqua Memoria Artificialis? Nec immeritò, cum optimi quíque Auctores id nos moneant, ad id hortentur, ac suo exemplo instigent. Hoc eloquentissimus Latinorum in Partitionibus Oratoriis hisce verbis suadet: *Omne quod in controuersiam venit, id, an sit, nec ne, aut quid sit, aut quale sit quæritur.* Hoc oculatissimus subtilissimúsque Philosophorum, ne dixerim Græcorum, sed omnium. cap. 2. De Memoria & Reminisc. inculcat. *πρῶτον μὲν ἐν ὅσα ἐν τοῖς ἐπιχειρηματικοῖς λόγοις ἐστὶν ἀληθῆ, δεῖ τιθέναι ὡς ὑπάρχοντα*, quod sic vulgò vertunt;

Primum igitur quæcúnque in aggreſſoriis rationibus vera ſunt, oportet ponere vt exiſtētia. Idem quoque lib. 1. Poſt. indicat. Et vocatur eidem 2. poſteriorum analyticorum, quæſtio εἰ ἔστι; aliis quæſtio ὑπάρξεως. Probatur denique hoc Illuminato Doctori Raymundo Lullio, neceſſariis rationibus adductis, quà in arte breui, quà Cabaliſtica, quà arte magna, aliíſque Opuſculis. Demum vt ne fimbrias meas dilatem in re ab inſtituto meo aliena, à Primipilo Medicorum Galeno tom.3, lib,6.comment. in Hippocrat.de morbis vulgaribus idem munifeſtè docetur. Iure igitur ad propoſitam hypotheſin reſpondēdum erit. Hoc dum meditor, candidum lectorem latere nolim, me in hac Criſi tribus duntaxat perſtricturum hæc, reliquáque ad dignam huius artis tractationem neceſſaria, ea latius θεοῦ διδόντος in tractatione Mnemonicæ ſecundum Artem Lullianam, opuſculoque meæ Criſios, cuius hæc vel minima pars eſt perſecuturum, rogans vt interim hunc qualem qualem ſuſceptum laborem æqui boni conſulat.

Sed rem ipſam aggrediamur, atque eſſe quādam artem Memoriæ, Ratione,

Aucto-

Auctoritate, experientiáque ipsa probemus. quod à nullo adhuc factum vidi. *Ratio.* Quod summus ille rerum omniũ molitor & gubernator cunctis cùm animi, tum corporis facultatibus concessit, hoc excellenti huic ac planè diuinæ facultati denegasse, nefas est suspicari, nedum affirmare; sed singulis aliis facultatibus certam ducem ac magistram artem adiunxit: ergo hanc perfectionem, hocque beneficium Memoriæ substraxisse mihi mortalium probarit, persuaseritque nemo.

Vt hanc meam aduersariis oppositam aciem, à cornu dextro leuique natura ipsa aliisque bonitatis diuinæ abundè munitam, à fronte probè instruam, ei caput proponam, quod sit particula illa auræ diuinæ ratio & intellectus, hominibus duntaxat ex omnibus animãtibus concessus, hic arte eruditur, perficitur, ab errore vindicatur. Sic puer, rusticus, ἄσοφος à natura ratiocinantur: σόφοι logicis præceptis eruditi ex arte philosophantur: hi certè, securè, & sine periculo erroris; isti timidè, cum errore, nec certitudinem sui discursus agnoscentes, nec infallibiliter concludere valentes,

inde dupondiis philoſophis nota illa Logices in Naturalem & Artificialem diſtinctio. Hinc nobilis illa Logicæ Cathedras perſonans quæſtio: An Logica artificialis ad omnes ſcientias, arteſque liberaliores neceſſaria? reſpondeāt Magiſtri noſtri, ah ſi benè, feriati.

Hunc ſubſequantur alij triarij, vt facultas eloquendi, quam omnibus natura conceſſit, perfecit ars & benè diſſerere docuit. Hinc Eloquentiæ parens de Orat. 183. *Ad naturam optimam ars adiungi debet, quæ à natura profecta eſt, notatio enim naturæ atque animaduerſio peperit artem*, quam τεχνολογίαν ſcitè alibi vocat. Definitque eam 1. de Orat.. cum Quintil. lib. 2. c. 15. Ariſt. 1. Rhet. cap. 1. ſic, *Rhetorica eſt ars, vel doctrina benè dicendi.*

Fuit & olim alia ars ex tempore de quacunque re appoſitè diſcurrendi, benéq; dicendi, in qua præter cæteros imprimis excelluêre Gorgias, Alcidamas Elatus, quem Plato Palamedam vocat, Policrates qui ſcripſit orationem cōtra Iſocratem. Dionys. Halicarnaſſeus. Salomon, filij Mol. 3. Reg. cap. 2. Ioſeph. lib. 8. antiquit. c. 2. qui quamuis hanc

ſuam

ſuam artem nullis ſcriptis poſteritati communicarint, tamen eam poſtlimi-nio reuocauit, certè in hac illuminatus Raymundus Lullius, niſi eam à Caba-liſtis Hebræis mutuatam dixeris, planè aliam methodum, eundem in finem ad-hibētibus, vt vt ſit, omnes id animaduer-ſione quadam & arte perfecêre. Imo & ipſa Poëſis, in qua tamen potiſſimum natura dominatur, iuxta illud, *Poëtas naſci, Oratores fieri,* arte perficitur. Nam Horatius mota hac quæſtione, vtrum natura, an ars plus ornamenti poëtę ad-ferret, aliam ab alia ſeiungi non poſſe ſequenti carmine concluſit,

—ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude quod proſit video ingenium: al-
terius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Quare rectè Pontanus in Inſtitutioni-bus ſuis Poëtarum cap. 1. lib. 1. Ars tan-quam certiſſima dux viam demonſtrat: quam ſi fideliter ſequemur, nunquam offendemus. Et quamuis non pauca ſunt, quæ nullis præceptionibus pari-untur, propterea quod à natura inſerun-tur, nihilominus eadem naturæ dona ab arte magiſtra perficiuntur. Ec quare,

vt ab hoc Horatio, Vida, aliiſque abeã, politiſſimum & poſt hominum memoriam, maxime limatum illud Iulij Cæſaris Scaligeri ingenium tam copioſum fuiſſet in Poeta inſtruendo, niſi eum meliorem inde reddi poſſe exiſtimaſſet? Quid vultis? anne quotidie videmus quod quis natura citharam pulſet, choreas ducat, caballum in gyrum circumagat; ſed arte excellenter & cum omnium admiratione? vt benè Ariſtot. lib. 1. Metaph. cap. 1. ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία, τέχνην ἐποίησεν, ὥς φησὶ πῶλος, ὀρθῶς λέγων· ἡ δ' ἀπειρία, τύχην. *experientia enim (vt recte ait Polus) artem efficit, imperitia vero caſum.* & paulo poſt eodem cap. *Eos qui artem tenent, quam eos qui experientiam habent ſapientiores eſſe putamus, hoc autem, quia illi ſciunt cauſam, hi vero minime; ſed laborant vt inanimata, ne ſcientia quid faciant, vt ignis comburit*, &c. Et Plato lib. 24. in Gorgia. *Peritia efficit, vt via noſtra per artem incedat; imperitia vero, vt temerè per fortunam circumagatur.* Quare appoſitè Pamphilus Poeta.

Nam ſolet ars Dominũ ſæpe iuuare ſuũ.
Ars animos frangit, vel firmas dirimit
vrbes,

Arte

Arte cadunt turres, arte leuatur onus.

Et rursum,

Vsus & ars docuit quod sapit omnis homo.

Item,

οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ.
πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα παράπαν οὐδενὶ,
οὔτε πᾶν τέχνη μὴ φυσιν κεκτημένη.

Sine arte nusquã omnino natura est satis,
Quodcunque tandem studium nominaueris.
Nec ars adepta natura quicquam potest.

Cum igitur artem in omnibus facultatibus, quà animi, quà corporis valere intelligamus, miror cuius iudicij, ingenij, ac memoriæ sint, qui harum obliti memoriæ denegant, quod aliis concedunt. Sed hi Cicer. lib. 3. ad Herenn. cap. 3. consulant. Vbi pollicetur, se iis qui minus ingenij habent adiumento futurum.

AVCTORITAS. Ad auctoritates easque probatas venio, quibus nisi fidem adhibeamus, semper, secundum Tullium ad Brutum, pueri manebimus. Non ad penè obsoletas illas transcendam, vt Simonidis, quem huius artis parentem ferunt, & iam octogenarium

maiorem gloriatum fuiſſe, neminem ſibi memoriâ parem, hoc diſticho.

μνήμην δ' ὄτινά φημι Σιμωνίδη ἰσοφαρίζειν.

ὀγδοκκοντα ἔτει παιδὶ λεωπρεπέος.

Non ad Hippiæ apud Platonem iactitantis poſſe ſe quinquaginta nomina ſemel audita recitare.

Non ad Carneadis & Metrodori, qui in Zodiaco tricenos & ſexagenos inuenit locos., de quibus lib. 2. de Oratore Cicero. Non inquam ad tam altè repetitas autoritates confugiam; ſed ad eorum, quorum ſcripta quot diebus manibus terimus, oculis percurrimus, mēte inſequimur, ſed vtinam aſſequeremur: ac pleroſque hos Mnemonicam ſciuiſſe, approbaſſe, præclareq; de ea ſcripſiſſe(ſemper tamen Platonis præcepti memores. Res arcanas paucis communicandas) monſtrabimus.

Horum vnus inſtar omnium eſſe poſſet, Numen Philoſophiæ Ariſtoteles, cui tamen nōnullos alios breuiter ſubiungam, qui ſic cap. 2. de Memoria & Reminiſcentia ſcribit:

ARISTOTELES. διὸ ἀπὸ τόπων δοκοῦσιν ἀναμιμνήσκεσθαι ἐνίοτε. *Quapropter*

à locis

à locis videmur reminiſci aliquando. Dubitatio ſuboritur, an hîc loca nuda intelligantur? an perpetua? Schenchelius, Naulius, aliique qui loca perpetua vel ignorarunt, vel non attigerunt, de locis nudis intelligant neceſſe eſt. Ego autem ad trutinam mentis benè ſubſequẽtibus reuocatis, eum loca perpetua, conceptuſque inſitos putaſſe ſic probo: quia cauſam aſſignat Ariſt. hanc, quare à locis reminiſcimur. *ὅτι τάχυ ἀπ' ἄλλου, ἐπ' ἄλλο ἔρχεται. quia velociter ab alio in aliud veniunt.* Sed nudus parietis angulus, non æquè me ad ſecundum, tertium angulum ducit, quàm conceptus intrinſecus, mihi per catenam ſiue naturalem, ſiue artificialem antea familiaris redditus. Sic facilè ex Aurifabri in auri, hinc in annuli, inde in follis, exinde in fornacis cognitionem deuenio. Quod etiam Ariſtotelis exemplo commõſtratur cum inquit, *οἷον ἀπὸ γάλακτος ἐπὶ λεύκον, ἀπὸ λευκοῦ δὲ ἐπ' ἀέρα, καὶ ἀπὸ τούτου ἐφ' ὑγρόν. ἀφ' οὗ ἐμνήσθη, ταύτην ἐπιζητῶν τὴν ὥραν. Vt à lacte albi, ab albo aëris, ab hoc humidi, à quo memini autumni, hoc quærens anni tempus*; motu, puta, conſequente. Philoſophus præterquam quod

hoc loco doceat catenulam memoriæ, etiam numerum locorum commodiſſimum, quippe, quinarium perſpicacibus inſinuat, cum exemplum quinque locorum adhibeat, quo commodiorem, diſtinctioremque inueniri poſſe neminem : is demum intelliget, qui artificia mnemonicæ penitius introſpexerit. Sed in his conſule Dialogum de Ordine.

ORDINEM eodem capite docuit idem Philoſophus. inquiens καὶ ἔστιν εὐμνημόνευτα, ὅσα τάξιν τινὰ ἔχει ὥσπερ τὰ μαθήματα. τὰ δὲ, φαύλως καὶ χαλεπῶς. *Et ſunt facile reminiſcibilia, quæcunque ordinationem habent aliquam, ſicut Mathemata: quæ autem praue & difficulter.* Ordinatio triplex eſt, *Vel in re.* vt in mathematicis, quorū ſi quis peritus eſſe deſiderat, naturali ordine procedat neceſſe eſt. Vt primò literas dignoſcere addiſcat, deinde coagmentationem ſyllabarum agnoſcat; abhinc ſe lectioni accingat, tandem præcepta grammatices rimetur, ſecundum hæc ceu cynoſuram in ſcribendo, loquendoque ſe dirigens, demū ſcientias methodicè aggrediatur. primò Logicam, deinde Phyſicam, tandem Metaphyſicam, primam Philoſophiam,

vel

vel Theologiam. Sic in Mnemonica à locis ad ordinem, imagines, inde ad regulas verborum tam notorum, quam ignotorum, ſententiarum, hiſtoriarum, reliquarumque rerum in hac arte neceſſariarum deueniendum.

Vel non in re, ſed rei affingenda, & nobis ipſis ex arte inquirenda, ſic Nolanus Brunus ex verſu pſ. 1. Beatus vir qui non abiit in conſilium impiorum. ſibi τάξιν τινὰ τεχνικῶς fecit, facile memorandi, diſcurrendi, argumentandi, &c.

Vel in locis. quam ſumas in ſubiectis non mortuis; ſed viuis vt in homine, ita 20. vel 100. in vno cubiculo inuenies loca, ordinem qualemcunque tandem facile aſſequeris, atque ex ſubiectorum viuacitate in locati cognitionem moueberis, quamobrem loca perpetua, ſiue conceptus intrinſeci inuenti. Quotus enim quiſque eſt qui non aduertit, facilius inter pedem, manum, ſimiliaque membra corporis ſimilitudinem inueniri, actionemque inſignem cum imagine rei memorandæ excitari poſſe, quam cum locis mortuis, nudis, atque ab omni ſimilitudine alienis? & tamen

hæc si artem laudabiliter vtiliterque exercere velimus secundum Aristotelẽ, Cic. aliosque primæ notæ huius artis scriptores, nobis seruanda sunt.

IMAGINES tum præcedenti, tum hoc capite sæpius insinuat. Vt. *Meditationes autem memoriam reminiscendo.* σώζουσι. quod alij conseruant, alij saluant interpretantur. Meditari autem nihil aliud est quam imagines formare, teste Scheneкelio f. 186. *Est quippe meditari. ad se imagines & intellectum materiæ capere.* & ipse in sequentibus. τοῦτο δ' ἐστὶν οὐδὲν ἕτερον, ἢ τὸ θεωρεῖν πολλάκις, ὡς εἰκόνα καὶ μὴ ὡς καθ' αὑτό. *Hoc autem nihil aliud est quam speculari sæpe vt imaginem, & non vt secundum se.* ac cap. 2.

Meditantes ab ipso nunc, aut ab alio aliquo, & à simili, aut contrario aut propinquo, propter hoc fit reminiscentia. Hic tradit quatuor modos imagines formandi.

1. ἀπὸ τοῦ νῦν. id est, ab ipsa re præsenti quæ figurari potest à phantasia, vt si librum pro libro, pileum pro pileo collocem, quæ præcedenti capite vocat memorabilia per se.

2. ἢ ἄλλου τινός. aut ab alio aliquo. quales modos 30. recenset in suo Philotheo Ior-

Iordanus Brunus fol. 29. multi quoque ponuntur in Dialogo de imaginibus: item à Schenckelio, Macolone, aliiq; non pauci in medium afferuntur. Aristot. hic tres duntaxat indicat, alios, ingenioso lectori inquirendos relinquẽs, ἢ ἀφ' ὁμοίου. & à simili. quod fit multis modis.

Aut per similitudinem in voce. sic ad equitantem exprimendum, equum meditari possumus. ad vitam, vitim, &c. Aut per ethimologicã similitudinẽ, vt à Romano Romam, à Montano Montem. ab Aurelianensi Aurelium. Aut à similitudine capitis, vt pro tibi tibicen, pro tu tubam: ita omnia verba ignota facilè exprimere possumus, si nobis alphabetum omnium literarum familiare reddamus. Et si τὸ *ana* Arabicum obseruandum; Adamus nobis notus imaginandus, cuius nasus ad dextrum pedem se protendat, sed de his suo loco.

Aut à similitudine, quam res in forma, figura, vel qualitate alia inter se habent. Vnde Lullius in arte magna, parte 10. cap. 116. *Sicut intellectus per similitudinem attingit similatum; sic memoria per similitudinem recolit obiectum desi-*

deratum. Nam si quis vidit aliquem hominem similem filio suo, ipse tam cito recolit filium suum per similitudinem ipsius, &c.

Potest hûc etiam reuocari similitudo analogica de qua S. Thomas quæst. 1. art. 2. dist. 1. *Sicut se habet aqua ad diluendas eluendasque maculas corporales, ita se habet gratia Dei ad tollendas maculas spirituales.* Neque hic tam amplè similitudinem capere licet, vt Lulliani, ac alij artem de quaque re ex tempore discurrendi tractantes: verum similitudines facilè obuiæ sumantur, necesse est.

3. ἢ ἐναντίου. aut contrario. siue sint contraria per se, sic ex calore frigus colligo; siue contraria per accidens, sic ignis & aqua sibi inuicem contraria sunt. ratione ipsius caloris & frigoris: siue sint relatiue contraria, sic ex Domino seruum colligo: siue priuatiue, sic ex vidente cœcum: siue contradictoriè sic ex Deo non Deum; siue demum per antiphasin, sic per fatuum Aristotelem, per aliquem incultè loquentem Ciceronem, &c.

4. ἢ τοῦ συνέγγυς. aut propinquo, quod fit variis modis: ab antecedente venamur consequens, vt ab aurora solis ortũ.

Pallida

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.

Et vice verſa à conſequente antecedẽs, vt à fumo ignem. Ex concomitante, vt à vicino vicinum, muliere maritum, ſocio ſocium, qui ſemper ſibi propinqui eſſe ſolent, recordor. A ſubiecto accidens, & vice verſa, vt à lacte in albi, & ab albo in lactis cognitionem deuenio. Ex contemperaneo tempus, vt ex glacie hiemem, ex floribus ver. Ex circumſtantia locum atque ſubiectum, vt ex certo habitu Gallum vel Galliam. Ex inſtrumento artificem, vt ab vlna ſartorem, ab aſtrolabio aſtrologum, &c.

Poſſunt optimi quique & fere omnes modi res technicè figurandi, qui à variis artificialis memoriæ auctoribus traduntur, ad hos quatuor Ariſtotelis reuocari, vt hinc intelligamus Philoſophum quemadmodum in aliis ſuis ſcriptis, ſic in hac præſertim arte breuitati obſcuritatique ſtuduiſſe, nec iniuria, didicerat enim à præceptore ſuo Platone in Euthidemo, *vt res celeberrimæ atque arcanæ habeantur à Philoſophis apud ſe, & paucis atque dignis communicentur. Aqua enim*, inquit idem, *viliſſimo pretio emitur*

cum tamen omnium rerum ſit pretioſiſſima. & addit eodem cap. διὰ τοῦτο γίνεται ἡ ἀνάμνησις. propter hoc ſit reminiſcentia. Si autem à ſimili, à contrario à propinquo fit, cedo ſodes non fieri ab arte? & te omnium eruditorum, mnemonicæque peritorum explosionibus expones.

Habes tria præcipua fundamenta artis huius ex Ariſtotele petita, puta, loci, ordinis, imaginumque formationem, nunc alia aperiamus. συμβαίνουσι δὲ, inquit, αἱ ἀναμαμνήσεις ἐπειδὴ πέφυκε ἡ κίνησις ἥδε γίνεσθαι μετὰ τήνδε. *Contingunt autem reminiſcentiæ, quoniam aptus natura eſt hic motus fieri, poſt hunc,* id eſt, quæ catena ſiue naturali ſiue artificiali ſibi inuicem cohærere fecimus, illorum facile reminiſcimur, quia aliud ex alio ſequitur, ſiue ad aliud mouetur. Et hoc certius fit in illis, quæ ἐξ ἀνάγκη, quam quæ ἐξ ἔθει mouentur. καὶ ὅταν τοινὺν ἀναμιμνήσκεσθαι, βούληται, τοῦτο ποιήσει καὶ ζητήσει λαβεῖν ἀρχὴν κινήσεως. *Et cum igitur meminiſci voluerit, hoc faciet, quæret accipere principium motus.*

Catenâ imaginum per motum, vel actiones quaſi ligamenta factâ, oportet

vt

vt inſignem aliquam actionem principio illius catenæ affingamus. Quo facto facilè ex actione, quam cum ſequentibus imaginibus exercet, reliqua ad memoriam reuocabimus; *ſicut enim*, ſubiungit, *ſe habent res ad inuicem, in eo quod conſequenter, ſic & motus*, Putà, ſicut imagines benè per actionem diſpoſitæ, pulchrè ſe inuicem ſubſequuntur, ſic & motus memoriæ, in earum imaginum repetitione; ſiquidem hi motus ab imaginibus ceu ab obiectis ſuis excitantur. *Sæpe autem iam quidem non poteſt reminiſci, quærens autem poteſt, & inuenit*, putà, imagines. *Oportet autem acceptum eſſe principium.* ἔοικε δὲ καθόλου, ἀρχὴ καὶ τὸ μέσον πάντων. *Videtur autem vniuerſaliter & medium principium omnium.* Hoc eſt, media, ſeu in medio collocato imago, nos in ſubſequentium & antecedentium ſeu imaginum, ſeu locorum inducit cognitionem, vt perſpicacibus ex ſequente Philoſophi textu notum fiet. Si enim, inquit, non primæ imaginis ſeu loci cùm ad eum peruenerit, & recordari voluerit, reminiſcitur. Vt ſi quis intellexerit ab his, puta, loca ſua, vel ab his, vel in his ſubſequentibus elementis

ſumpſerit. α.β.γ.δ.ε.ζ.η.θ. ſi enim non ἐπὶ τὸ ε reminiſcitur, ἐπὶ τὸ ε. θ. memoratus eſt. hinc enim ad ambo motum eſſe contingit, & ad τὸ θ. & ad τὸ ε. ſi vero nihil horum quærit. ad τὸ γ. veniens reminiſcetur, ſi τὸ η. vel τὸ ζ. inquirit, ſi vero non ἐπὶ τὸ α & ſic ſemper.

Eius autem, quod ab eodem aliquando quidem meminiſſe, aliquando autem non, cauſa eſt, quia contingit ad plura motum eſſe ab eodem principio, vt ἀπὸ τὸ γ. ἐπὶ τὸ ζ. *aut* τὸ δ. locus hoc difficilior, quod elementis intricatus, hoc obſcurior, quia pleriſque vera fundamenta Artis Mnemonicæ ignota, non quod Titan ille ſcientiarum minus nobis luminis communicarit; ſed quod lumina ingenij noſtri nimis infirma ad ſplendorem huius artis recipiẽdum cùm propter deſidiam noſtram, tum propter præceptorum raritatem ſint. Vt vt ſit, nihilominus aliquid illuminare conabor, præſertim eorum oculos, qui ſibi fundamenta & Introductionẽ Artificioſæ memoriæ per lectionem familiaria reddiderunt, ac pro elementis vtar nominibus Imperatorum, quæ exempli gratia adhibere ſoleo. Et generaliter loquendo intermedia

media poſita imago, vel locus eſt principium omnium imaginum quà præcedentium quà ſubſequentium, vt ſi cui, vel loci perpetui, vel imagines ſint. Iulius, Auguſtus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, Galba, Otto, &c. Si enim non à Claudio reminiſcitur, ad vltimum id eſt Ottonem recurret, & ab eo memorabitur: hinc enim ad ambo, immo ad omnia mouebitur loca, amboque & Ottonem & Claudium in memoriam reuocabit. Si vero nullum horum ad mentem reuocare deſiderat, ad Tiberium veniens & Galbæ & Neronis reminiſcetur, ſi nondũ reminiſcitur, ad principium motus, putà. Iulium Cæſarem confugiet, & ſic conſequenter in aliorum mouebitur memoriam, vt ab albo veniet in autumni cognitionem (teſte Ariſt.) & vice verſa, à Tiberio in Ottonis, in quo plurimum valet exercitatio & conſuetudo, vt in ſequentibus fatetur Philoſophus. Quod autem ſemper non tam promptè reminiſcimur, cauſa eſt, quia ab eodem duplex eſt motus ſeu relatio, & ſic ex Galba, & in Neronis, & Ottonis deuenies cognitionem, &c.

Fundamenta, Catenam, regulas probè artis exercendæ, ſumma omnia multis voluminibus à variis autoribus de hac arte ſcripta in Ariſtotele tanquam fonte habetis, reliquum eſt vt ſalutiferum ſcientiarum fontem habeatis, eum cerui inſtar deſideretis, ſitimque veſtrã ſcientiarum ardentiſſimam aliquali ratione mitigari videbitis, nam

Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ,

Si quis Græcis fontibus delectetur, adeat Orationem Apſinis Rhetoris περὶ μνήμης, ac eum præclare de ea ſcripſiſſe, commendaſſe, præceptaque dediſſe intelliget, quæ ſic incipit. Μνήμης δὲ ὅτι οὐδὲν ἐστι σπουδεότερον ἀνθρώποις ὡς ἔπος εἰπεῖν. τίς ἂν ἀντιλέξειε νοῦν ἔχων, &c. Hic Apſines quantus in Philoſophia, quantus in τεχνολογίᾳ fuerit, ex Philoſtrato & Suida, ſi ignores, diſcas licet.

Iam ex Græcia præclara ſcientiarum ſede prima, in Latium vela faciamus, earundem ſcientiarum ſecundam ſedẽ non minus ignobilem: ac ab eo qui pluplurimum in eo dicendi, ac aliarum ſcientiarum laude floruit, exordium ſumamus.

Marcus Tullius Cicero lib. 3. ad Herennium,

rennium, inquit, *Placet nobis esse artificium memoriæ, in qua multum valet ars & præceptio*, & mox. *Sunt igitur duæ memoriæ, vna Naturalis, altera Artificiosa. Naturalis est ea quæ nostris animis insita, & simul cum cogitatione nata. Artificiosa est ea, quam confirmat inductio quædam & ratio præceptionis, vtraque altera separata minus erit firma, ita tamen vt multò plus in doctrina atque arte præsidij sit. Sed quia in cæteris rebus ingenij bonitas imitatur sæpe doctrinam, ars porro naturæ commoda confirmat & auget, ita fit in hac re, vt nonnunquam naturalis memoria, si cui data est egregia, similis sit huic artificiosæ. Porro hæc artificiosa naturæ commoda retinet, & amplificat ratione doctrinæ.* Idem videre licet in aliis facultatibus, vt Logica, Rhetorica, arte pictoria. Nonne quidam tam excellenti lumine naturali præditi sunt, vt ratiocinentur, philosophentur, discurrant, pingant, æque benè ac prudenter, atque nonnulli qui multum temporis in Logica artificiosa addiscenda consumpserunt, licet non æque securè? Nonne fons ille bonorum omnium, nonnullis tale flumen eloquentiæ largitus est, vt Rhetorices studiosis com-

parari, ne dixerim proponi, poſſint?

Nonne aliqui naturali quadam inclinatione, quam ὁρμὴν appellant, tam feliciter figuras exprimunt, vt aliis qui maximam ætatis ſuæ partem in ea arte addiſcenda triuerunt, admirationi ſint? Hi ſi naturam arte iuuent, quis non videt eos multò perfectiores futuros? ſiquidem nulla ars abſque magiſtro, teſte S. Hieronymo addiſcitur: puta perfectè, ſed natura ab arte perficitur.

Quapropter & naturalis memoria, dicit ibidem, *præceptione confirmanda eſt, vt ſit egregia, & hæc quæ doctrina datur indiget ingenio.* Cauſam dat Ariſt. ὅτι τὸ ἀναμιμνήσκεσθαί ἐστιν, οἷον συλλογισμός τις, quam enim Cicero Artificioſam memoriam, eam Ariſt. ἀνάμνησιν appellat. συλλογίζεται δὲ ſecundùm eundem ὁ ἀναμιμνησκόμενος. Quare conſiderans frequenter quinam huic arti aptiores, an memoria naturali firmiores? an ingenioſiores? an iudicio politiores? primas dandas poſtremis experientia ſcientiaque notaui, ideo pueri ad hanc inepti plerunque, quia iudicio carent, vel etiam quia paſſionibus maxime expoſiti, quæ vt à Philoſophia iuxta Ariſt. ſic multò magis ab

hoc

hoc exercitio remouendæ ſunt. Secundas ſecundis, vltimas primis. Miraris forſan? deſine, paulùlum te ipſum intra, officia huius artis examina, experientiam inquirito, & ſocratica dicta experieris,

Nec hoc magis aut minus in hac re, quam in cæteris artibus fit, vt doctrina, & præceptione natura niteſcat. Quibus in rebus hæ præceptiones adhibendæ? in iis dubio procul ex quibus ars conſtat, quibus perficitur. *Conſtat igitur*, ipſo Cicerone affirmante, *Artificioſa memoria ex locis & imaginibus.* Sed ex quibus locis? anne ex illis quos ipſe cum aliis authoribus Rhetorices diuidit in inſitos & aſſumptos? audi eum ipſum reſpondentem.

Locos appellamus eos qui breuiter, perfectè, inſigniter, aut natura, aut manu ſunt abſoluti, vt eos facile naturali memoria comprehendere, & amplecti queamus, vt ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, & alia quæ his ſimilia ſunt.

Recentiores locos diuidunt in Naturales, Artificiales, & Miſtos. Alij addunt imaginarios, qui neſcio quid in aëre fabricantur: hi ſi fundamentum in re ha-

beant, eos non exploſerim. Alij locos perpetuos, quos vocant conceptus inſitos nonnulli, perſequuntur, quos hoc meliores exiſtimo, quòd diutius (ſi prudenter & ſecundum artem adhibeātur) hærent. Vides ex præcedentibus quanta meliore methodo procedat Schēckelio Tullius, & tamen apertis verbis, idem compendioſe docet, quod ille tanquam Caballam diuiniſſimam difficillima, retrograda, perturbataque ſcriptione abſcondere conatur, vt ſtomachobundus frequenter ab ipſius lectione ſurrexerim, nec ego duntaxat, ſed & multi alij, qui id mihi cum ſtomacho retulere. Et quidem Cicero primò Artificioſam Memoriam eſſe inquit, cuius pleniorē probationem in alium locum reiicit, qui, aut intercidit, aut propter occupationes, aut finem vitæ ab eo finiri non potuit. Hinc Quid ſit declarat. Hæc tali ordine facienda ex optimis autoribus partim demonſtrauimus, partimque demonſtraturi ſumus: tandem ſubiecta vel loca ex quibus ad locata venit, etenim corpora ſine locis eodem teſte, intelligi non poſſunt, *quæ corpora ſunt imagines, formæ quædam & notæ*

&

& ſimulacra eius rei, quam meminiſſe volumus, quod genus equi, leonis aquilæ, quorum memoriam ſi volemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit, quod eſt Ariſtoteli ab ipſo nunc, & Neotericis à propria imagine recordari.

Itaque iis qui hanc partem ingenij exercent, dicit Cicero lib. 2. de Orat. *locos eſſe capiendos, & ea quæ memoria tenere vellent effingenda animo, atque in his locis collocanda: ſic fore, vt ordinem rerum ordo locorum conſeruaret, res autem ipſas rerum effigies notaret, atque vt locis pro cera, ſimulacris pro literis vteremur.* Idē libro. 3. ad Herennium docet his verbis:

Quemadmodum igitur qui literas ſciunt, poſſunt id quod dictum eſt ſcribere, & recitare quod ſcripſerunt: ita qui μνημονικὰ didicerunt, poſſunt quæ audierunt, in locis collocare, & ex his memoriter pronuntiare. Loci enim ceræ aut chartæ ſimillimi ſunt: imagines literis: diſpoſitio & collocatio imaginum ſcripturæ: pronunciatio, lectioni. Hîc eadem fundamenta mnemonicæ, quæ ſupra apud Ariſtotelem, traduntur, puta *locos, imagines*, diſpoſitionem vel ordinem, lectionē, quæ huius artis benè peritis, æque ferè facilis redditur in ima-

ginibus, atque legendi arte eruditis lectio literarum quotidiana.

Quare ne in re nota, ac peruulgata multus & insolens sim, locis est vtendum multis, illustribus, explicatis, modicis interuallis. & alibi,

Oportet igitur si volumus multa meminisse, multos nobis locos comparare, vt in multis locis, multas imagines collocare possimus. Locos tam perpetuos, quàm non perpetuos formandi, duplicandi, quadruplicandi, quintuplicandi, &c. disces ex Dialogo de Locis.

Item putamus ex ordine hos locos habere, nequando perturbatione ordinis impediamur, quo serius quoto quoque loco licebit, vel à superiore vel ab inferiore, vel à media parte imagines sequi, ea quæ mandata locis erunt, edere & proferre possimus, quod pulchra similitudine confirmat, idem ibidem.

Cui quoque assentitur Aristoteles loco antea sæpius citato ἔστιν εὐμνημόνευτα, ὅσα τάξιν τινὰ ἔχει. & D. Thomas 2ª2. q.49.art.1.resp. ad.2. Homo ea quæ vult memoriter tenere sua consideratione ordinatè disponat, vt ex vno memorato facilè ad aliud procedatur, in hoc præcipue

cipue ars ſe prodit, & ideo ſummus límes ſapientiæ, anima ſtudiorum, caput artis, pater memoriæ ab aliquibus appellatur. Siquidem ordo locorum, eſt illorum anima, ab hoc enim pendet ordo rerum locandarum & memorandarum, vt inquit Alſtedius lib. 2. Syſtem. Min. cap. 9. Prudenti igitur ſtudioſo comprimis curæ, cordique ſit optimum ordinem inquirere. Triſmegiſtus in Pimandro ſermone 5. à ſapientia, & prudentia ordinis mundi, conuincit eſſe vnum eius dominum & opificem. Ordo, inquit, fieri à deformitate nequit, eget autem deformitas Domino, qui ordinē præbeat. Plato lib. 32. in Timæo, cûm vellet ſcientiam & diuinitatem artificis mundi demonſtrare, eum dixit inordinata in ordinem redegiſſe, vnde bene lib. 2. de Orat. cap. 21. Cic. *Ordo eſt maxime qui memoriæ lumen adfert.*, & lib. 3. ad Heren. cap. 5. *Quare placet, & ex ordine locos comparare, & locos quos ſumpſerimus egregie commeditari oportebit, vt perpetuò nobis hærere poſſint: nam imagines, ſicut literæ delentur vbi nihil illis vtimur: loci tanquam cera remanere debent.* Meditationes enim teſte Ariſt. & D. Tho-

mæ ſaluant memoriam, & ideo egregie commeditandi, vt pro locis perpetuis in omni materiâ etiam atque etiam iis vti poſſimus. *Et ne forte in numero locorum falli poſſimus, quintum quemque locum placet notari. quod genus ſi in quinto loco manum auream collocemus, & ſi in decimo aliquem notum, cui prænomen ſit Decimo,*&c. quia in manu numerantur quinque digiti, quo numero & iam vſus fuit Ariſtoteles, & vix crediderim meliorem iniri poſſe, quanquam alia methodus quàm à Cicerone hîc indicatur ſit adhibenda, de qua vide Dialogũ de Ordine.

Subiungit quædam πορίσματα de locis quæ ad artem probè exercendam multum valere putat, vt,

1. *Commodius eſſe in derelicta, quam in celebri regione locos comparare.* Quanquam ego cum Rauennate exiſtimem, hoc, vna cum ratione Tullij ibidem allata, parum ad rem facere.

2. *Diſſimiles forma atque natura locos comparandos*, nam ſimilitudo eſt quæ omnia confundit: diſſimilitudo verò, differentia, diſtinctio, diſtributio, diuiſio, quæ diſtinguit, confuſionem tollit, vnicuique rei ſuam certam formã addit.

3. Ma-

3. *Magnitudine modicas & mediocres locos eſſe oportet:* multò enim minores maioreſque imaginibus eſſe non conuenit.

4. *Nec nimis illuſtres, nec vehementer obſcuros locos habendos, interualla locorum mediocria placet eſſe, fere paulo plus aut minus pedum trium.* Sic cum Alfonſo Delbio legendum arbitror, quem multum artificiali memoria valuiſſe teſtatur Lam.

Hactenus regulas locorum, nunc imaginum aggreditur, & docet nos ex autoritate naturæ imagines formandas.

1. *Egregie turpes, aut honeſtas, inuſitatas, magnas, incredibiles, ridiculas, non mutas, non vagas; ſed aliquid notum agentes, vt diu earum meminiſſe poſſimus: item imaginibus vtendum agentibus;* traditque duplices imagines Rerum & Verborum, illas faciles ac Oratori proprias, has difficiliores, nec tamen inutiles eas iudicat, vt nulla ratione adducta lib. 4. de Orat. facit Voellius; ſed eas approbat cum Ariſtotele, aliiſque eruditioribus, autoribus ratione adiuncta.

At cùm non minor quam quærere virtus ſit parta tueri, ideò commendat.

2. *Vt identidem primos quoſque locos,*

imaginum renouandarum causa, celeriter animo percurramus. Tandem coronidis instar hoc capite, vtilissimum præceptũ subiungit, quod quia à plerisque negligitur, ideò ad eius scientiam non perueniunt, & præposterè de re ignota, quo nihil magis temerarium, stultum, ac arrogans cum optimis quibusque existimo, iudicant, quod sic habet.

3. *Sed cum in omni disciplina infirma est artis præceptio sine summa assiduitate exercitationis, tum vero in μνημονικοῖς minimum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia cõprobetur. Quamplurimos locos vt habeas, & quam maxime ad præcepta accommodatos, curare debebis. In imaginibus collocandis exerceri quotidie conuenit. Non enim sicut à cæteris studiis abducimur nonnunquam occupatione, ita ab hac re nos potest causa deducere aliqua. Nunquam est enim quin aliquid memoriæ tradere velimus, & tum maxime cum aliquo maiore negotio detinemur. Quare cum sit vtile meminisse, non te fallit quod tantopere vtile sit, quanto labore sit appetendum, quod poteris existimare, vtilitate cognita. Pluribus verbis ad eam te hortari non est sententia, ne aut tu nostro, aut nos tuo studio diffidere,*

dere, aut minus quam res postulet dixisse videamur.

Nec ego te morabor, *Cùm ne quisquam copiosius mihi vnquam visus sit, neque subtilius in hoc genere dicendi, licet Athenis cum doctissimis viris, & in Asia cum isto ipso Sceptio Metrodoro de his ipsis rebus disputarim.* Sed prosopopeia ad ipsum Tullium facta, ad alium nos hâc eâdem super re conferemus.

Ecquid Marce Tulli, *gratiam habes, Simonidi illi Chio, quem primò ferunt artem memoriæ protulisse?* si nulla talis ars? si quid sit ignores? si nihil inde commodi perceperis? nullos fructus ex amaris laborum radicibus, tam varios peregre consulendo, collegeris?

Ecquid Catule, vnà cum fratre tuo magnam habetis gratiam Antonio apud eundem Ciceronem, nœnias, & quisquilias vobis referentem? quid scientiam admiramini? Vel vos ignaui, mendaces, amentes: vel vestri aduersarij stupidi, stolidi, bardi, iniuriosi, blatterones, lapæ, vappæ, tribulique nobilissimorum auctorum. Elegat lector quid velit, & nos in Oratore instruendo maximè methodicum accedamus.

Quintilianus Inſtitut. lib. 11. cap. 2. *Sed non firmiter, tantum continere, verum etiam citò percipere multa acturus oportet.* Hic duo munera memoriæ tradit, nimirum facile percipere, in quo & ab arte iuuari poſſumus: & diu retinere, in quo præcipue ars eluceſcit. *Et in longiſſimis actionibus priùs audiendi patientia, quàm memoriæ fides deficit. Quod & ipſum argumentum eſt, ſubeſſe artem aliquam, iuuarique ratione naturam: cùm iidem docti facere illud, indocti, & inexercitati non poſſimus.* Nam bene inſtructi facillime quouis ordine res repetunt, quod artis & inſtructionis ignari facient nunquam.

Artem autem memoriæ primus oſtendiſſe dicitur Simonides. Cuius vulgatam hiſtoriam vel fabulam hîc, Cicero, aliiq; quamplurimi recenſent, quare eam vt vobis notam tranſeo. *Nam cum in loca aliqua poſt tempus reuerſi ſumus, non ipſa agnoſcimus tantum, ſed etiam quæ in his fecerimus reminiſcimur, perſonæque ſubeunt, nonnunquam tacitæ quoque cogitationes in mentem reuertuntur, nata eſt igitur vt in pleriſque, ars ab experimento.* Ariſt. 1. Metaph. ἀποβαίνει δ' ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις. Per experien-

tiam autem ars & hominibus efficitur.

Loca discunt quam maximè spatiosa, multa varietate signata, domum forte magnam, & multos diductam recessus: in ea quidquid notabile est, animo diligenter affigitur, vt sine cunctatione, ac mora partes eius omnes cogitatio possit percurrere. Et primus hic labor est non hærere in occursu, plus enim quam firma debet esse memoria, quæ aliam memoriam adiuuet. Hic satis demonstrat se bonæ methodi fuisse ignarum, cum omnia quæ in domo sunt pro locis sumat, quæ certo scientificoque ordine assumi non possunt.

Tum quæ scripserunt, vel cogitatione complectuntur, & alio signo quo moueantur, notant: quod esse vel ex re tota potest, vt de nauigatione, militia, quæ ex verbo aliquo. Nam etiam excidentes, vnius admonitione verbi in memoriam reponuntur. Sit autem signum nauigationis vt anchora: militiæ, vt aliquid ex armis. Hæc igitur digerunt primum sensum vel locum vestibulo quasi assignant; secundum atrio, tum impluuia circumeunt; nec cubiculis modo aut exedris, sed stratis etiam, similibusque per ordinem committunt. Hoc facto cum est repetenda memoria, incipiunt ab initio loca hæc recensere, &

quod cuique crediderunt, repoſcunt & eorum imagine admonētur: vt quamlibet multa ſint, quorum meminiſſe oporteat, ſint ſingula connexa quodam choro, ne errent coniungentes prioribus ſequentia ſolo ediſcendi labore. Hic pluribus, huius artis peritis, ſe bonæ methodi inexpertem, inſinuat, cum fere tantum in locis quantum in re apte memoriæ tradenda laborandum ſit, quod in vera methodo, noſtroque ordine minime neceſſarium.

Quod de domo dixi & in operibus publicis, & in itinere longo, vt vrbium ambitu, & in picturis fieri poteſt; etiam fingere has ſibi imagines licet, opus eſt ergo locis, quæ vel finguntur vel ſumuntur: imaginibus vel ſimulacris, quæ vtique fingenda ſunt. Imagines notæ ſunt, quibus ea quæ ediſcenda ſunt, notamus. Locis eſt vtendum multis, illuſtribus, explicatis, modicis interuallis: imaginibus aliquid agentibus, actibus inſignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum poſſint. In ſequentibus Metrodorum & Carneadem reprehendit, quos tamen Cicero laudat.

Si longior complectenda memoria Oratio fuerit, proderit per partes ediſcere, & hæ partes ſint perexiguæ. Non eſt inutile quo

facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat, & quasi excitet memoriam. Nemo enim ferè tam infelix ut quod cuique loco signum destinauerit, nesciat; & si erit tardius ad hoc, eo quoque adhuc remedio vtatur, vt ipsæ excitent notæ. Hinc ex illa arte non inutile, attendere signa ad eos qui exciderunt sensus: anchoram (vt supra posui) si de naue dicendum esset, spiculum si de prælio. Multum enim signa faciunt, & ex alia memoria venit alia,&c. *Hæc magis adhuc astringunt, quæ memoriam ab aliquo simili transferunt ad id quod continendum est: vt in nominibus, si Fabius forte sit tenendus referamus ad illum cunctatorem, qui excidere non potest: aut ad aliquem amicum, qui idem vocetur. quod est facilius in apris, & vrsis, & Nasone, aut Crispo, vt id memoriæ infigatur vt sunt nomina. Vt nasus longus,* crispi crines, &c. Vnde Poëta.

Nasutus sis ipse licet, sis deniq; nasus,
Quantũ non possit ferre, vel ipse Milo.

Et alibi,

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.
Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.

Origo quoque aliquando declinatorum tenendi magis causa est, vt in Cicerone. Venio

Aurelio, ſi debent inſeri, vt Cicero à cicere herba, &c. In ſequentibus inquit, ſe experimento doctum, quod magis iuuetur tacite ediſcendo, *ſi tamen aliæ cogitationes ſubeant, excitandus eſt animus voce, vel potius murmure*: nam in ore omnium eſt.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

In experiendo teneaſne, & maior intentio eſt, & nihil ſuperuacui temporis perit. Verum & in his quæ ſcripſimus complectendis; & in iis quæ cogitamus continendis, prope ſolæ (excepta quæ potiſſima eſt exercitatione) diuiſio & compoſitio. Nam qui recte diuiſerit, nunquam poterit in rerum ordine, errare. Nihil æque vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Mirum dictu eſt, nec in promptu ratio; quantum nox interpoſita adferat firmitatis.

Habes hîc ex Quintiliano decerpta, quæ in ipſo potiſſimum ad artem probandam, & exornandam facere videbantur; hæc ſi cum Ariſtotelicis, & præſertim Ciceronianis cõtuleris, non multum inter ſe diſcrepare notabis.

Huic ſuccedat nobilis ille Stoicæ Sectæ princeps, Seneca, qui ita de ſe ipſo

lib.

lib. 1. Declamationem scribit. *Duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta referebam, & ab iis qui ad audiendum præceptorem nostrum conuenerant, singulos versus à singulis datos, cùm plures quam ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens vsque ad primum recitabam.* Heus quisquis hæc legis, & nihildum memoriam iuuari arte credis, subsiste paulisper, & tuum *Pater noster.* quod 20. 30. vel 40. annis, modo Christicolus, sciuisti, mihi ex tempore inuerso ordine, ab vltimo incipiens verbo, referas. Quid hæres. Quid titubas? quid in æque prompte à fine quam à principio rem dudum tibi cognitam recitas? quod in materia difficiliore, incognita, semel duntaxat audita Seneca hic, Corsicus ille adolescens lib. 3. Variarum lectionum Mureti. D. Iungman apud Schenckelium, Doctor Naulius in Dialogo de Sententiis, aliíque complures expedite, cum præsentium admiratione, extemplo fecêre, sed sed arte? qua in similibus à brutis & animantibus Arist. 1. Metaph. cap. 1. auctore distinguimur. Subiungit ibidem idem Seneca. *Nec complectenda tantum quæ vellem velox erat mihi memoria: sed etiam ad retinenda*

quæ

quæ acceperat, quod artis & reminiſcentiæ opus, eodem Philoſopho, cap. 2. de Memoria & Reminiſcentia, autore.

Tranſeo ad Theologiæ Coryphæum D. Thomam, qui 2 2. quæſt. 49. a. 1. reſp. ad 2. affirmat. *Memoriam non ſolum à natura proficiſci; ſed etiam habere plurimum artis & induſtriæ*, vbi quatuor præcipuos huius artis canones ſubiungit, quos ibidem videre licet.

Coſmas Roſſellius Florentinus Ordinis Prædicatorum, atque eiuſdem Religionis Ioannes Romberch, ſatis copioſos de hac re tractatus edidêre, & feliciter ſummóque cum fructu, vt ipſi teſtantur exercuêre.

Rauennas inſignis Lugulæius, quantum hac in re valuerit, quantum per hanc profecerit, in ſuo Phœnice luculenter declarat. De quo ſic Sabellicus lib. 10. cap. 9.

Conſtat memoria naturæ beneficio, augetur tamen & excolitur arte, in quo genere, vnum exemplum & ſingulare vidit noſtra ætas in Rauennate, qui multa millia rerum ſtans percipiebat animo, & eo quo accepta eſſent ordine, memoriter reddebat: ſed hæc artificij ſunt, non naturæ, &c.

M. An

M. Antonius Muretus lib. 3. variarum lect. insigne alicuius Corsici adolescentis exemplum huius artis refert, quam addidicerat ab homine gallo, quo puer præceptore domestico vsus fuerat, qui ab ipso Mureto dictata nomina Latina, Græca, Barbara, significantia, nihil significantia, tam varia, tam nihil inter se cohærentia, vt Muretus dictando, amanuensis scribendo, & cæteri qui aderant audiendo fessi essent, quæ omnia ille primùm eodem, deinde inuerso, tandem intercalari ordine ipsis stupescentibus retulit, in cuius rei fidem multos nobiles & patricios Venetos testes vocat.

Simile Artificiosæ Memoriæ Specimen adducit Schéckelius, à D. Iungman. item Iurisperito in præsentia Rudolphi Goclenij magni illius Philosophi, aliorúmque editum.

Nec ab his dissentit quod in Dialogo sententiarum de Adamo Naulio Theologiæ Doctore, multis nobilibus, aliísque locupletissimis testibus recensetur. Vt breuis sim, Marafiotum, Gratolorum, Iordanum Brunum, Picum Mirandulanum, Cardinalem de Perrõ, Alstedium, Bruxium, Maculonẽ, alióſque minorum

gentium

gentium huius artis excultores, ſcriptores, & laudatores prætereo; confidens nullum ſapientum, quod ratione, autoritate præcipuorũ ſcriptorẽ:experientia certiſſima,locupletiſſimaq; comprobatũ eſt negaturũ:attamè ſunt tales;ſed minime in hac re,vt dixi, ſapientes,quorum quinque cauſæ mihi id temporis occurrunt, quibus ad hoc mouentur.

Prima,eorum qui mercenario pretio docent,quod vel ipſi parum de arte ipſa ſciant, vel veram methodum ignorent, vel demum aureos mõtes polliceantur, vt crumenas auditorum emungãt, cum vixdũ ferreos præſtare poſſunt,huiusrei exẽpla quia odioſa,ſilentio inuoluo.Decepti igitur artẽ ipſam cum doctore criminantur,& quod ipſi propter tarditatẽ ingenij, vel præceptorũ ignauiam aſſequi non potuerunt, arte acceptũ ferunt.

Secunda, Quod nonnulli varios autores reuoluendo ſuopte ingenio ſe eius fructum aſſecuturos arbitrentur, cuius nulli niſi diuino ingenio prædito vnà cum Cicerone auctor ſim, qui etiam plus laboris & moleſtiarum adhibebit, quam vtilitatis inde hauriet, cum hæc potius tanquam inſtrumentum quo aliæ

ſcientiæ

ſcientiæ facilius acquirantur, vt Logica, expetenda ſit.

Tertia. Supina negligentia, ſocordia, aut inconſtantia nonnullorum, qui dum vera quidem artis principia perceperũt, labores tamen ſuſceptos non continuant, ideoque nec ſperatos fructus carpunt, arti aſcribẽtes quod proprio vitio vertendum.

Quarta. Nonnulli inuidia acti, artificium ſibi perſpectum, conuitiis lacerant, contemnunt, & neſcio quibus diris conſecrant; vt ipſi ſoli hoc adiumento ſcientiarum perfruantur, & præ reliquis quamplurimum memoria naturali valere videantur: quod vltimum, vt in pluribus etiam mihi notis nõ vitupero, ſic ne in conuitiis multi ſint ſuaſero, cum præcipuis quibuſque auctoribus, ac ſummis ingeniis hac aliquam ignominiæ maculam aſpergere videantur, quibus potius gratiæ agendæ, quod ſuo labore, atque induſtria nobis fundamẽta tam præclaræ artis iecerint, in qua perficienda potius toti deberemus eſſe omnes.

Quinta. Eorum qui optima quæque ignota malunt cõtemnere, quàm diſce-

re, quo nihil turpius affirmat Erasmus, & de re quam ipsi nunquam sciuêre, vel de ea per transennam quædam legendo non intellexêre iudicium ferunt, inquientes memoriam naturalẽ arte destructam iri. Obsecro destruiturne Logica artificiali; arte rhetorices, naturalis discurrendi eloquendique genius? Sed natura omnium calculo arte perficitur; non destruitur, nisi præposterè adhibeatur, vel vera methodus ignoretur, quam pluribus eam iactantibus ignotam antea dixi. Quod multis exemplis probare possem, vnius tamẽ qui publicis scriptis claret, sit instar plurium.

D. Adamus Naulius, Theologiæ Doctor, qui cum mihi magna intercessit necessitudo Lugduni Gallorum, dum forte fortuito in Conuiuio alicuius magni Domini hac super re sermones incidissent, inquit dictus Doctor; Audiui nonnunquam & pro eo habeo, dum pertinacius illi insistunt quod imaginibus suis assequi nequeunt, eis naturalem memoriam corrumpi. Cui ego impræsentiarum non respondi, nolens eum aliosque præsentes scire me aliquid ex istius artis fontibus degustasse. Postmodum

dum tamẽ ei familiarior factus, respondi aliquãdo huic obiectioni supra positis rationibus, & autoritate Ciceronis lib. 2. de Orat. cap. 21. ita scribentis.

Neque verum est quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, & obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines, & diuina prope memoria, Athenis Carneadem: in Asia, quem viuere hodie aiunt, Sceptium Metrodorum, quorum vterque tanquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in iis locis quos haberet, quæ meminisse vellet perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis: sed certe, si latet, euocanda est,&c.

Quo audito mirum in modum à me petiit, vt ei quædam delibanda præberem, se plane eius ignarum: cuius precibus cessi, & eum primum mei ipsiusmet laboris, & inuenti participem feci, qui post vnum alterumue colloquium tantum in mnemonica profecit, vt intra quadrantem viginti sententias antea inauditas quocunque ordine sine hæsitatione recitare facillime posset. Nec satis hoc, sed ita in artem antea à se ex ignorantia contemptam incubuit, vt anno

poſt ipſe tractatum de ea Pariſiis typis mandarit, qui inſcribitur, *Theſaurus Artificialis memoriæ*, in quo quid meo iudicio præſtiterit Criſis mea te docebit. Hactenus artificioſam aliquam memoriam eſſe probatum eſt: nunc quid ſit, propter eorundem Doctorum autoritatem inquiramus.

Quid eſt Memoria artificioſa?

Plato in Phædro Sophiſtas deridet, diſputantes diu multumq; de Iuſtitia, & neſciētes quid illa eſſet. Sic quis nō immerito Schenckeliū, alioſq; reprehenderit pluribus de Mnemonica agentes, & quid illa ſit minime indicantes. Quia ea cauſa eorum qui errant eſt, quod rem de qua verba faciunt, non tenent, vt lib. 3. de Generat. animalium. cap. 5. inquit Ariſt. Et illius Præceptor lib. 11. in Hippia maiore.

Qua ratione intelliges, quæ Oratio pulchre compoſita ſit, quæ non: aut aliam quamlibet orationem pulchram eſſe aut turpem, dum pulchrum ipſum quid ſit ignores? Ac in Menone, *Quamdiu quis ignorat qui is ſit, optime ignorauerit qualis ſit*, &c. Scire vero quid ſit, eſt eius finitionem cognoſcere, Ariſt. lib. 2. de Gener. Gal. tom. 2. ſine cuius

cuius cognitione aliquid docentibus accidit idem, quod cæco viatori hac illac aberranti, vt ſcribit Athanaſ.lib.de definitionibus. Inquiritur hæc per quæſtionem τ̃ ὀσίας, id eſt quid ſit, vt rectè in Lulliana Philoſophia docetur: non vero per quæſtionem. *An ſit.* vt Suarez. lib.1.tab. rhet.in appendice cap.14.

Ac ſic Tullio deſcribitur lib. 3. ad Herennium.

Artificioſa memoria eſt, quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis,

Alſtedius in Minori Syſthemate lib. 1.cap.3.

Mnemonica eſt ars conficiendi, & perficiendi memoriam, inſtrumenta fabricans.

Keckermannus Syſtemat. rhetor.lib. 3.cap.1.

Mnemonica eſt ars formandi, & dirigendi memoriam, in earum rerum atque adeo etiam verborum tum impreſſione, tum conſeruatione, quæ memoria dirigenda ſunt.

Ego ex Ariſt.Cic.D.Thom. hanc collegi.

Mnemonica topica eſt ars, quæ in locis, ſimilitudinibus atque imaginibus corporalibus certo ſub ordine poſitis, rerum aut verborum reminiſcentiam docet. Hæc definitio

mediocriter in arte verſatis manifeſta eſt, ideóque verbioſiore explicatione non indiget.

Rodolphus Goclenius in Lexico Philoſophico ſic:

Artificioſa memoria eſt ars, qua rés citò comprehendantur, firmiter retinentur, facilè promuntur; ſeu eſt memorandi facultas arte & exercitatione acquiſita.

Breuiter Vviliſſus cap. 1. *Mnemonica eſt ars reminiſcendi.*

I. PRÆ-



I. PRÆLECTIONIS,

πόρισμα.

SCHENCKELIVS hiſce præſuppoſitis in prima lectione Mnemonicam verborũ docet, quæ ei incumbebat imprimis probanda, propter nonnullos rerum ac ſententiarum admittentes, verborum verò contemnentes. Voellius lib. 4. de Orat. cap. 22. *Ad verborum memoriam inutilis mihi videtur imaginum fictio.* Qui ſi generaliter loquatur, cõtra Ariſt. Cic. Quint. ipſamque experientiam facit. Ariſt. cap. 2. de Memoria & Reminiſc. inquit quod ἀπὸ γάλακτος ἐπὶ λεύκον, ἀπὸ λευκοῦ δ' ἐπ' ἀέρα καὶ ἐπὶ τούτου ἐφ' ὑγρόν ἀφ' οὗ ἐμνήσθη μετοπώρου ταύτην ἐπιζήτων τὴν ὥραν. *A lacte in album, ab albo in aërem, & ab hoc in humidum, à quo meminit autumni, hoc quærens anni tempus.* Hæccine ſunt verba, an ſententiæ? Et apertius paulo poſt, ὅταν δέῃ ὄνομα μνημονεῦσαι παρόμοιον μὲν εἰς δ' ἐκεῖνο σολοικοί-

ζομῶν: *Quando opus nomen meminisse* ὄνομα, inquit, *assimile quidem, in illud autem solœcisamus.*

Quod si eam verborum memoriam putarit, quam lib.4.ad Herenn. Tullius hisce verbis aperit.

Scio plerosque Græcos qui de memoria scripserunt, fecisse, vt multorum verborum imagines conscriberent, vti, qui eas ediscere vellent, paratas haberent, nequid inquirendo consumerent operæ,&c. Quod si, inquã, hunc modum intellexerit, non tantum inutilem cum Voëllio; sed etiam eum ridiculũ cum Tullio; plus laboris quam frugis habere cum Romberch. immo eum naturaliter ἀδύνατον cum Scheckelio dixerim. Quis enim non videt in Oratione, vel Concione, vbi aliquot millia verborum prolata, impossibile esse totidem millia imaginum ex tempore conuenientibus locis concredere, iisque dictis, verbo tenus eodem ordine, nulla mutata syllaba, repetere? Ecce tibi modum quo suos discipulos nonnulli perturbant, ac non immerito ab arte absterrent.

De vera autem methodo sic eodem cap. scribit Cicero.

Verborum

Verborum similitudines constituuntur, cum uniuscuiusque nominis & vocabuli, memoria imagine notatur, admonétque nos ibidem aperte ne verborum memoriam tanquam nimis difficilem, aut parum vtilem improbemus. Et Quintilianus lib. 11. docet, Quomodo Fabij, Vrsi, Nasonis, Crispi, aut Ciceronis per imaginem meminisci debeamus, quæ tamen verba nisi in nomine ludere velis. Sed quid multus sim in re manifesta? anne Seneca Rauennas, Corsicus ille adolescens, aliiq; hac arte facilè aliquot millia nominum quocunque ordine repetierunt? Immo in verbis maxime ars elucescit, vt qui hanc negant artis se rudes satis indicent, & ex hisce quasi vnguibus bruta animantia agnoscantur, psittacorum instar sonos non voces edentes. Sed quid ignobile vulgus moror, si ipsi principes à nostra stent parte?

Ego omnia illa transiens quæ sine vlla methodo hîc congessit Schenckelius tantum memoriam verborum ex principum fontibus depromam, & imprimis Aristotelis inquientis cap. 2. de Memoria & Reminis. *Meditandũ ab ipso Nunc, aut ab alio aliquo, & à simili, aut contrario.*

aut propinquo, &c. id eſt, vel ab ipſiuſmet verbi imagine, ſeu propria ſeu inpropria: vel ſi imaginem obuiam non habeat, ab alicuius alterius verbi imagine nota, dictum nomen in memoriam reuocandum eſt, vel propter ſimilitudinem, contrarietatem aut propinquitatem, aut alios quamplurimos modos, qui ad dicti Philoſophi ferè omnes reduci poſſunt, & in iis includuntur; idq; fit vel per verborum diuiſionem, vt *Veſpaſianus* per veſpam vexantem vel trahentem anum, &c. vel per capitis diminutionem, vt Albam pro Galba ponas, vel alias alterationes mnemonicas in Introductione Artificioſæ Memoriæ indicatas, collocando imprimis 20. vel 100. in quoque cubiculo ordine optimo & naturali, excitata ad ſe inuicem actione, κίνησιν Ariſt. vocat, idque τεχνικῶς, vt per eam ceu catenam cohæreat, atque ex hac in alterius verbi deducamur cognitionem; fietque hoc, vel per actiones, vel inſtrumenta literarum, vel membra corporis humani, vel aues, vel per alios ſexcentos modos.


Per actiones. Iulius arcum tradit Auguſto, hic tubam Tiberio, Tiberius Caio canterum,

canterum, qui eum in Claudij proiicit faciem.

Per instrumenta literarum. Claudius imponit Neroni pileum Cardinalis, Nero dat Galbæ deuorandos limaces, hic pomo vel pilâ oculum Ottoni excutit, Otto nouacula barbã Vitellij radit, Vitellius eadem Veſpaſiano crines abradit.

Per membra corporis humani. Veſpaſianus Tito reuerentiam exhibens ſe ad eius tibias vſque inflectit, Titus Domitiano dentem extrahit, hic Neruæ naſum abſcindit, Nerua thoracem Troiano aperit, hic Adriani auriculam ſcalpit.

Per aues. Adrianus dat Antonio alaudam (quam Latini galaritam vocant) Antonius Marco Aurelio merulam auream, Marcus Commodo coturnicem, Commodus Pertinaci perdicem, Pertinax Iuliano indicum gallum, &c. Hac vel ſimili ratione, ſententiæ, hiſtoriæ, periodi orationum vel concionum connecti poterunt, immo & loca tam Vniuerſalia, quam particularia eidem materiæ deſtinata.



II. PRÆLECTIO.

SEntentia, quæ in hac ſecunda prælectione arti applicatur, hęc eſt, *Princeps ſine literis, quaſi nauis eſt ſine remige, & volucris ſine pennis.* Quã tamẽ facilius & paucioribus imaginibus expreſſeris, ſi ponas quendã Principem tibi facie notum, illiteratum, indoctum, rudem, qui vela faciat in naui in qua nulli ſunt remiges, & v. g. gallum gallinaceum plumis ſpoliet, &c.

Nonnulli per Mnemonicam grammaticam, vt vocant, ſententiarum reminiſcuntur, quæ docet aliquid memorię mandare per vocem artificioſam ſeu abbreuiationes: huiuſmodi abbreuiationes puta quibus multarum dictionum capitales litteræ in vnum colliguntur verbum, ſuntque vel σημαντικαὶ, vel ἄσημοι, hæ duntaxat memoriæ cauſa cõfictæ ſunt, vi *Reuban* omnia tranſcendentia inſinuat, Res, Ens, Vnum, Bonum, Aliquid, Verum. Iſtæ per ſe ſunt ſignificatiuæ; vt *Papa*, Poculum Aureum Petri Apoſtoli, *vel* Petri Apoſtoli Poteſtatem

ſtatem accepit. Voces hæ artificioſæ vſitatiſſimæ ſunt Cabaliſtis & Hebræis grammaticis.

Alij hac methodo in verſibus vtuntur, vt per *Ailumia* ſequentes Virgilianos verſus in memoriam reuocant.

Arma virumque cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus: Lauinaque venit
Littora: multum ille, & terris iactatus & alto.
Vi ſuperûm, ſæuæ memorem Iunonis ob iram,
Multa quoque & bello paſſus dum conderet vrbem,
Inferretque Deos Latio: genus vnde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ. &c.

Ego autem conſultius putarim, ſi quæque periodus in vno loco ſuis imaginibus exprimatur, vt in ſententiis factum; vel ſaltem vterque modus coniungatur.

Nobilius illud recens inuentum quo duo ingenioſiſſimi iuxta ac doctiſſimi auctores, per carmen vel ſententiam notam, nomina tam intellecta quam non

non intellecta, relatione prouocata, memoriæ mandanda docent : item Concionem, Orationem, articulosq; quamplurimos; imo hac ratione facilè ex tempore de quaque re quà logicè quà rhetoricè discurri posse iidem insinuant, quod alter eorum vocat Proteum, (diuersus à Scaligeri Proteo) ac sic præsenti materiæ per præsens carmen accommodatur. Vt strenui milites prius se ab *armis* instruunt, quàm ad ipsum bellum proficiscantur: sic verè studiosi, ante se mnemonicæ muniunt arietibūs, quàm omnium scientiarū incipiant oppugnare arces; moti autoritate summorum *virorum*, Arist. Cic. Quint. & aliorum: allecti lenociniis Poëtarum, Musarum matrem memoriam *canentes*. Idque in iis *Regionibus ac Ciuitatibus*, vbi humaniores ditioresque artes maxime floruêre ac dominatæ sunt, seruatum semper legimus. Quotus autem *quisque* ita omnium rerum ignarus, qui quam necessarium hoc sit non videat? &c.

III. PRÆ-

III. PRÆLECTIO.

RERVM memoria quę vtilior eſt, & plus facilitatis habet quam verborum, Cicerone teſte, propria eſt Oratoris: eam ſingulis perſonis bene poſitis notare poſſumus, vt ſententias imaginibus, ordinem locis, comprehendamus. Ac alibi. *Rei totius memoriam ſæpe vna nota, & imagine ſimplici comprehendemus, hoc modo, vt ſi accuſator dixerit, ab reo hominem veneno necatum, & hæreditatis cauſa factum arguerit, & eius rei multos dixerit teſtes, & conſcios eſſe: ſi hoc primũ, vt ad defendẽdum nobis expeditũ ſit, meminiſſe volemus, in primo loco rei totius imaginẽ formabimus: ægrotũ in lecto cubantem faciemus ipſum illum, de quo agetur, ſi formam eius detinebimus. Si eum non agnouerimus, aliquem ægrotum, non de minimo loco ſumemus, vt citò in mentem venire poſſit, & reum ad lectum eius adſtituemus, dextrâ poculum, ſiniſtrâ tabulas, medico teſticulos arietinos tenentem. Hoc modo & teſtiũ, & hæreditatis, & veneno necati memoriã habere poterimus. Item deinceps cætera crimina, ex ordine in locis ponemus, & quotieſcũq; rem meminiſſe volemus,*

ſi for

formarum dispositione, & imaginum diligenti notatione vtemur, facile ea quæ videmus memoria cõsequemur, hactenus Cicero. Et Quintilianus inquit, *Pariẽ quamlibet nota distinguere, neminem non iuuabit.* Hûc non nemo Mnemonicam Poëticam reuocat, quæ docet rem versibus breuiter includere, vt summa decem priorum capitum Genesios hoc versu continetur.

1. 2. 3. 4. 5.
Mundus, lex fertur, peccatur, Abelis, Enochi.
6. 7. 8. 9. 10.
Arca fit, intrat, abit, federa, Noachidæ.


Talia sunt carmina circumstantiarum Vvisselli, quæ mihi omnium maxime ex ipsius Mnemonica arrident.

An? quis? quid? cuius? cui? quo? quibus auxiliis? cur?
Quando? circa quid? qualis? quantum? ex, in, & à quo?
Quandiu? vbi? quando? quoties? quotuplex? quot? & vnde?

Quãquam eædem breuius & perfectius ordinę quà naturę, quà doctrinę quęstionibus Lullianis indicentur. Et hoc versu iam dudũ, licet non amplè, expressæ sint.

Quis? quid? vbi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

IV. PRÆ



IV. PRÆLECTIO.

OCcvrrentibvs vocabulis, vt vocant, non intellectis, inquiras ſedulò vocabula intellecta familiaria & his ſimilia, eorúmque imagines ſubiectis imponas, vt te in non intellectorum vocabulorum memoriam inducant, & ſi non omnino ſimilia occurrant, ſaltem quam maxime ad ſimilitudinem accedentes inueſtigare coneris imagines, eamque diſſimilitudinem nota conueniente in componendo exprimas, vt ne vlla ſyllaba aut litera vocabuli non intellecti quoad fieri poteſt memoriam fugiat, quod facile alteratione mnemonica aſſequeris.

Loco aliorum modorum, quos hîc autor recenſet, quia plus difficultatis quam vtilitatis procreant, vtor alphabeto propriorum nominum, quo cuiuſcunque tandem idiomatis verba etiam longiſſima, vna imagine exprimi poſſunt, qui hoc nobilior, quod ſimiliter actionem, quam neceſſariam Cicero aliíque teſtantur, eam Ariſt. motum appellat.

pellat, ſuppeditet. Hoc igitur alphabetum, vel ſimile tibi familiarẽ reddes.

1. *Adamus, Andræas, Arrius, Antonius, Albumazar.*

6 *Bartholomæus, Bernardus, Biblicus, Bonifacius, Budæus.*

11. *Carolus, Cæſar, Chriſtus, Conradus, Cunibertus.*

16. *Daniel, Deodatus, Dionyſius, Dominicus, Durandus.*

20. *Eraſmus, Euerhardus, Elias, Eroſtratus, Eduardus.*

26. *Franciſcus, Ferdinandus, Fridericus, Florentius, Fuluius.*

31. *Gabriel, Gerardus, Gilbertus, Godofridus, Guillelmus.*

36. *Hadrianus, Henricus, Hieronymus, Honorius, Hubertus.*

41. *Iacobus, Ieſus, Iſidorus, Ioannes, Iulius.*

46. *Lambertus, Leonardus, Lizander, Lotharius, Ludouicus.*

51. *Matthias, Mercurius, Michael, Moab, Mutius.*

56. *Narciſſus, Nero, Nicolaus, Noë, Numa.*

61. *Olaus, Oreſtes, Origenes, Otto, Ouidius.*

66. *Paulus, Petrus, Philippus, Polycarpus, Plutarchus.*

71. *Qua*

71. *Quadratus, Quercitanus, Quirinus, Quodlibetarius, Quurius.*

76. *Raphaël, Remigius, Richardus, Robertus, Rudolphus.*

81. *Salomon, Sebaſtianus, Simon, Solon, Studius.*

86. *Thadæus, Theodorus, Tilmannus, Thomas, Tullius.*

91. *Valentinus, Veſpaſianus, Vincentius, Vdo, Vrſus.*

96. *Xanthus, Xerxes, Xiſtus, Xophocles, Xuchites.*

Hoc alphabetum præterquam quod pro locis perpetuis, ordine, & imaginibus ſeruiat, etiam pro verbis ignotis vtiliſſimum eſt. Vteris igitur pro quoque verbo vno homine, quinque vocales in quinque extremis partibus corporis habente. A. in dextro pede. E. dextera manu. I. capite. O. in manu. V. pede ſiniſtro.

B. brachium. C. caput. D. digitus. F. facies. G. genu. H. humerus. L. lingua. M. manus. N. naſus. P. pedes. R. renes. S. ſynciput. T. tibia. Literæ quæ hic deſunt ſuis æquipollentibus efferes, & ſic actionis adminiculo maximum, difficillimumque verbum commodius vna imagine exprimes, quam Nolanus Brunus

nus suis 24. atriis, centum & aliquot imaginibus, adiuncta persona, operatione, instrumento, adstante, adiacente, quibus difficultatibus multos absterret à mnemonica; nec iniuria, cum illa mihi ars solū pulchra videatur quæ facilitat. Si igitur *τὸ caca* obseruandum, pones Carolum caput ad pedem sinistrum inflectentem. Sed inquiet perspicax quis, plus perfectionem quàm vtilitatem artis inquirens, quid faciundum si literæ L. M. N. R. S. T. quod non raro fit, syllabis interponantur? Pro his actionem aliquam per instrumenta ab alio ad aliud membrum excitabis, vt in li (*χρῶμαι παῤῥησίᾳ*) *cacle* eundem Carolum manu dextra à vlna attingentem crines.

Arithmeticum numerum simplicem exprimendi satis cōmodi modi in hac prælectione traduntur, compositum non itē: Quare modo, eundem in finem à me alibi, adhibito vtere. Tres ordines componas: primum hominum, secundum instrumentorum, tertium actionum, quæ tria ab eadem inchoentur litera. Quisque ordo contineat nouem vocabula, quæ etiam maximum numerum tibi indicare poterunt. Primus significabit numerum


merum

nerum denario minorem, ſecundus decurias, tertius centurias.

1. Ioannes Iaculo iaculatur.
2. Zeno zelo zelat.
3. Tertullianus tridente triturat.
4. Quadratus quadratum quadrat.
5. Quintilianus quinquefolium quiritat.
6. Sextus ſtellam ſectatur.
7. Septimius ſecuri ſecat.
8. Otto ocularia oſculatur.
9. Nouitius nouaculâ nocet.

His ita menti infixis facili negotio numerum decennario, centenario, millenarioque maiorem in loco imagine exprimes. v.g. ſi cẽteſimum vndecimum numerum obſeruare neceſſe ſit, conſtituas Ioannem iaculo iaculantem. Si quadringenteſimũ octuageſimum quintum. Quadratum ocularia quiritantem. Si millenario maiorem actionem accommodatam affingas, vt ad exprimenda. 6433. colloces Quintilianum quadrato tritium triturantem, & ſic in cæteris.

V. PRÆ



V. PRAELECT.

TRITVM est factum sermone prouerbium, eum bene docere qui bene distinguit: sic recte dixerim eum optime concionem Orationemque obseruaturum, qui optime diuiserit. Immo cum Socrate apud Platonem in Phœdro dicam; si nactus fuero ducem qui bene partiri sciat, eius vestigia ego vt Dei cuiusdam sequar. Distinguas igitur primò siue tibi habendam siue excipiendam orationem in partes maiores, v.g. Exordium, Narrationem, eiusque Probationem, Perorationem: ac totam orationem pones in tribus vel quatuor duntaxat cubiculis, imagines totales (sic libet appellare simulachra totius partis maioris) in ianuis cubiculorum: partiales verò, id est, minorum membrorũ in locis quatuor parietum, quibus longissimam totalem partem facillime excipies, si vel 20. vel 36. vel 100. in vno cubiculo sumas locos. Vel si concionem in tres partes totales Orator Christianus diuiserit, vt

hoc

hoc thema, *Tempus eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Si ad triplicem ſomnum applicuerit v. g. corporis, peccati, ac mortis. In fronte oſtij primi cubiculi colloces ſententiam, prouerbium, vel aliud quid exordij loco allatum, ac in eiuſdem oſtij tergo, hominem ſomno abreptum, ac ſentẽtias, membraque partialia, quibus hunc locum exornat in locis minus principalibus : in ſecundi oſtij tergo peccatorem : in tertio cadauer hominis modo hîc inſinuato. Si loci iſti partiales imaginibus non impleantur propter totalis partis breuitatem, ſuaſerim loca illa reliqua minus principalia vacua relinquere, hâc enim diſtinctione memoria valde iuuabitur, & confuſio eiuſdem capitalis hoſtis euitabitur, idque etiã in orationibus. quia vero hic plures partes totales communiter ſunt, etiam plures locos totales præparabis : ac in primo oſtio v. g. infantem, in ſecundo adoleſcentem, in tertio iuuenem, in quarto virum, in quinto ſenem, modo de concionibus dicto, formabis. Pari ratione in narrationibus quæ ab honeſto, vtili, iucundo, facili dicuntur, procedes.

Si verò Concionator non proponat

nec

nec diuidat; ſed ſimpliciter textum ſequatur, eumque explicet, pones conſequenter ſententias partiales in locis, vt ita loquar, partialibus, quemadmodum de ſententiis & hiſtoriis dictum.

At ſi Concio vel oratio ex tempore habenda, & ſpatium nullum ſit ſe præparandi, nedum per locos materiã conceptam vel lectam diſponendi, quid factu opus? ponas tibi ob oculos hominem quendam (dico quendam, non aliquem) in cuius pectore rem, de qua verba faciunda, loces. Genus in capite, ſpecies in pedibus, coniugata in dextra, contraria in ſiniſtra. E.G. ſi de Sapientia diſſerendũ in ſuperiore latitudinis parte Virtutem; in inferiore Diuinam, Politicam, vel Oeconomicam prudentiam inquires; in dextra iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, &c. in ſiniſtra imprudentiam, ſtultitiam, &c. Hac quoque methodo in argumentando mediũ Concluſionis probandæ facile inuenies, ſi in capite per locos neceſſarios probaueris *Prædicatum.* vt à genere, ſubiecto, accidente, proprio; item cauſa efficiente, fine, & cæteris ſeptemdecim. Locos contingentes in pede, vt à Notatione, ſimilibus,

ſimilibus, paribus, iugatis, & cæteris
16. In latitudine arboris pari ratione formes ſubiectum, & habebis plura 50. media ad concluſionẽ probandã, quibus ſi addideris inartificialia ſeu teſtimonia, habebis profuſiſſimã mediorũ copiam.

Vt autem quauis propoſitione data, eam per omnes figuras probes, aſſequeris id quam facillime, ſi has quatuor particulas *Sub, Non, Et, De,* ad medium accommodes,

In prima figura, per *Sub.*

Omnis ars bona eſt amplectenda,
Nnemonica eſt ars bona,
Ergo Mnemonica eſt amplectenda.

Aſſumpſi in terminum Mnemonicam, quæ ſub medio, puta, arte bona, continebatur.

In ſecunda figura, per *Non.*

Omnis ars bona eſt amplectenda,
Necromantia non eſt amplectenda,
Ergo necromantia non eſt ars bona.


In tertia, per *Et.*

Omnis ars bona eſt amplectenda,
Et omnis ars bona eſt vtilis,
Ergo aliquid vtile eſt amplectendum.

In quarta figura, quæ ab Auerroe Galeno aſcribitur, ſi tamen tibi placet, nam

nonnullis displicent omnes, asserentes Veritatem comparatam per Differentiam, concordantiam, & Contrarietatem Lullianam, adæquationem rerum & intellectus.

Omnis ars bona est amplectenda,
Omne amplectendum est vtile
Igitur aliquod vtile est ars bona,



VI. PRÆLECTIO.

VARIAS figuras locos formãdi hîc insinuat Schenckelius, ego quinque sufficere arbitror ex 12. in Fundamentis artificiosæ memoriæ depictis: videlicet Primam quæ in nominibus ignotis perutilis est. 3. quæ ad quamcunque rem memoriæ expeditè imprimendam, ex eaque quoque modo depromendam commoda. 5. quæ ad Lullianum artificium quàm aptissima. 8. in raritate locorum necessaria. 11. multiplicationi locorum inseruiẽs. Nisi quis etiã circulos in discursu (quos intellectui, non memoriæ accommodatos aiunt Lullij commentatores) adhibere velit, vt fecit Brunus in Cantu Circæo,

Circæo, ubi variis animantibus circu-lum alphabeticum accommodat, ac tale exemplum Porci ob oculos fol. 7. ponit. Porcus eſt animal. A, auarum. B, barbarum. C, cœnoſum. D, durum. E, erroneum. F, fœtidum. G, guloſum. H, hebes. I, immundum. K, κapitoſum. L, libidinoſum. M, moleſtum. N, nequitioſum. O, otioſum. P, pertinax. Q, querulum. R, ruſticum. S, ſtultum. T, turgidum. V, vile. X, lunaticum. Y, auriculatum. Z, mutabile. Ψ, non bonum niſi mortuum.

Pari ratione nonnulli per prædicamenta diſcurrunt,

A, actiones mirabiles hominum, vt Georgij Schanderbegij, quem multa millia Turcarum propria manu trucidaſſe ſcribũt, & aliorum vt Samſonis, Dauidis, Alexandri Magni, Hannibalis, Caroli Magni, Caroli V. Imperatoris,

C, Color hominum alius niger, vt qui meridionalem; alius albus, qui ſeptentrionalem plagam incolunt.

D, Diſpoſiti ſunt aliqui ad curũs, aliqui ad picturã, aliqui ad omnia, ſecundum illud Ariſtoph. Δεινὸς εἰς τὰ πάντα.

F, Figura & forma alia eſt Aſiaticorũ, alia Europæorum: alia Schiapodum vel

Schiopodum, alia Satyrũ: alia pygmæorum, alia gigantum, & ſi quædam ſimilia hominum monſtra dentur.

G, guſtus vel ſapor eſt melior in Gallica, quam bubula carne; melior in vino generoſo, quã villo. Vnde Philoſophus ille, in hoc Epicureus.

Viuat in æternum qui dat mihi dulce
falernum,
Qui mihi dat villum, mala paſſio torqueat illum

H, Habitus & veſtitus diuerſus; nam alij togati, alij braccati ſunt, aliter Itali, aliter Franci, aliter Hiſpani induti.

L, Locus, ſiue vbi: alij in aquis, alij in terris degunt, alij in aëre.

M, Multitudo hominum, motus mollities. Lipſius. *Militia eſt multitudo apta & compoſita iu armis, ad vim faciendam & arcendam, ſub certa lege.*

O, Odor, *Non bene ſemper olet, qui bene ſemper olet.*

P, Paſſio, alij hominum ſunt iracundi, alij placidi & manſueti, ideoque fœlices, ſecundum hæc Philemon:

ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
ἔστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.

Q, quando. vel quandiu res durent,

ſic

ſic multa animalia, & plantæ diutius homine viuunt:alia, alia natione maiorem ætatem attingit.

R, Relatio ſeu Comparatio, vt homo cõparatur cum duobus mundis ſuperioribus, vt docet Rabbi Abraham in lib. Ietzira.

S, Situs, vt Turcæ humi comedunt; Orthodoxi, Ieſum imitantes, flexis genibus Deum orant.

V, Virtus ſeu potentia rerũ naturaliũ, vt magnes habet virtutem attrahendi ferrum, adamas eandem impediendi.

Dicet nõ nemo homo, inquis Quintam figuram arti Lullianæ accommodatam: at ego alias figuras hunc in finẽ à Iordano Bruno excogitatas, in ipſius architectura artis Lullianæ vidi? Verũ id eſt, atque hic primus & ſolus quem ego adhuc inuenire potui, qui rotundas Lullij figuras tanquam memoriæ inimicas deſpexerit; angulares vt eidem familiares elegerit: ſed ideo eius figuræ ad ſtomachum non faciunt, quia nouem cubilia & tres diuerſas figuras ad Prædicata Abſoluta, Relatiua, Quæſtiones & ſubiecta Lulliana exprimẽda adhibet; at ego dũtaxat vno cubiculo, vnâ figura,

eadem multo facilius præſtare poſſum.

Nam imprimis ait. Cum ſingulis elementis quatuor conuenientia ſignificata tibi firmiter retinenda eſſe: naturalem autem memoriam ſuſpectam, & hæſitantem, ideóque ad nouem recurrenda quadrata cubilia.

Quare ad nouem, quę confuſionem memoriæ inimicam, & non potius ad vnũ, quod diſtinctionem eidem amicam pareret? Addo quod entia non ſint multiplicãda ſine neceſſitate: at quæ obſecro neceſſitas? Non hæc, quod cum ſingulis elementis quatuor conuenientia ſignificata firmiter tenenda ſint, quapropter Iordanus adhibuit primã figuram, cum illa facilius ex capitibus, & locis ſimilibus quatuor parietum obſeruare poſſis.

Non propter figuram euacuationem, (vt Lulliani cum ſuo Duce vocant) quem in finem Brunus ſecundam introduxit figuram, cum hæc per noſtrum commodius fiat. quia velociter ex vnius in alterius cognitionem propter ordinis Architecturam deuenimus.

Non propter triangulos Prædicatorũ Relatiuorũ, quam ob rem Nolanus tertiã inuenit, cũ noſtra figura ipſos triangulos

gulos suppeditet, & per se distinguat.

Non denique propter Combinationes vllas, componendo Absolutum cum Relatiuo inter se, vel cum seipsis; adiectiuè vel substantiue; in recto vel in obliquo; in abstracto vel concreto, vel demum aliquo alio modo ex præceptis Lullianis multiplicando.

Sed ipsa eleméta, vel alphabetũ Lullianũ accipito, quintęq; figurę applicato.

B. significat Bonitatem, Differentiam, Vtrum, Deum, Iustitiam, Auaritiam.

C. Magnitudinem, Concordiam, Quid, Angelum, Prudentiam, & Gulam.

D. Durationem, Contrarietatem, De quo, Cœlum, Fortitudinem, Luxuriã.

E. Potestatem, Principium, Quare. Hominem, Temperantiam, & Superbiã.

F. Sapientiam, Medium, Quantũ, Imaginatiuam, Fidem, Acediam.

G. Voluntatem, Finem, Quale, Sensitiuam, Spem, & Inuidiam.

H. Virtutem, Maioritatem, Quando, Vegetatiuam, Charitatem, Iram.

I. Veritatem, Æqualitatem, Vbi, Elementatiuam, Patientiam, Mẽdacium.

K. Significat Gloriam, Minoritatem, Quomodo & Cum quo, Instrumen-

tatiuam, Pietatem, & Constantiam.

Raymundus tractaturus de prædicatis transcendentibus, quæ scilicet de omnibus rebus dicuntur. Iure optimo primum locum attribuit *Bonitati*, cum fons, origo, & causa omnium sit, omnibus rebus positiuis insit. Hæc fons Trinitatis, siquidem bonum est, quod est diuisiuum sui, hæc origo creationis, hæc causa salutis, & beatitudinis nostræ. Et vidit Deus quod omnia quæ fecerat essent valde bona Gen. 1.

Cum igitur omnes res positiuæ bonæ sint, summum bonum non more Ethnicorum inquiramus; sed scalam subiectorum eiusdẽ artis ascendamus, & in summo apice illud inueniemus, quod nostrates per κατ' ἐξοχὴν *Gott*. id est, *gout* appellant Deum, scilicet, qui sitim solus explet, & per se expetitur, in quo summum bonum, beatitudinemq; veram consistere fatentur omnes. Non in medio scalæ subsistamus, vt Aristippum, Epicurum, Democritem, Lucretium, Carneadem, Cynicos, Sardanapalum, Heliogabalum, Demosthenem, Romanos vniuersos, aliosque vanæ gloriæ, corporis, ventrisque vilia mancipia

fecisse legimus. *Bonitas* autem *secundum Lullium est Ens ratione cuius bonum agit bonum, & sic bonum est esse, & malum non esse*, & vocatur à Scaligero bonum entitatis, quod nullum hebet contrarium,

Iulius Pacius supra Lull. *Bonitas est id ratione cuius res est bona, & bene agit.*

Hæc ars est vniuersalis ac generalis, ideoque ad hoc prædicatum (quod de omnibus aliis intelligas velim) non solum bonum reuocatur; sed & eius contrarium, puta, malum, cuius synonima, Vtile, gratum, honestum, &c. Coniugata. vt bonificatiuum, bonificabile, & bonificare, vt Lull. appellat. τὸ *iuum.* significat principiũ actiuum, effectiuum, cõmunicatiuum, τὸ *ile.* passiuũ, receptiuum, participatiuum. τὸ *are.* copulatiuum, actuale, seu connexiuum.

Vt vnum exemplum Prædicatorum Absolutorum præter meam opinionem prosecutus sum; sic vnum praxios tribus attingam. Tu, modo tibi res cordi sit, ex his facile coniecturâ duceris ad alia.

Sit hæc quæstio pertractanda. *Nemo potest duobus dominis simul seruire*, &c. Quemadmodum communis Rhetorica hypothesin ad thesin reuocandam do-

cet, ita Lulliana omnes Quæstiones ſuis figuris applicandas monet. Duo in hac theſi inuenio ſubiecta correlatiua, Dominum & ſeruum, quorum hoc reuocatur ad ſubiectum E figuræ A: illud ad ſubiectum B. vel C. vel etiam E. eiuſdem figuræ. Ex promptuario Exordiorum, quod, Cicerone tibi ad id autore feciſti, Exordium huic ſententiæ accommodatum ſume, ac ſententiæ applica, ſiquidem omnia de omnibus dici poſſe, in iiſque inueniri, huius artis cultores nouêre, ac ſic rem aggredere.

Cum nullus hominum, vt ipſa veritas, inquit, duobus dominis ſimul ſeruire poſſit, illi primas dabit, qui ter optimus, ter maximus, cuius regni nullus finis, qui ſolus habet poteſtatem ſeruum ſuum mittere in Gehenam, qui nouit oues ſuas, qui eas paſcere, ſeruumque ſuum promouere deſiderat. qui eſt ipſa virtus, veritas, gloria; tandemq; dicet, Euge ſerue bone, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui, &c.

Non Cacodæmoni, mundo fallaci, iſtius odium in ſeruos ſuos infinitum eſt, tyrannus ſummus, qui etiam atque

etiam

etiam tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui ſi conceſſum eſſet, eos in ictu oculi perderet, qui nihil aliud cogitat, molitur, meditatur, nihil aliud machinatur, deſiderat, appetit, quam vt ſuos ſeruos in extremum exitium ducat, hoc ipſi poſt lapſum innatum, hæc genuina ipſius proprietas, hic ipſius omnibus in rebus finis, hic ſcopus, in quem collimat, in quo ſperat, gloriatur, ac triumphat.

Differt autem Dei bonitas multum à bonitate Angeli, eãque multis partibus ſuperat, ſiquidem hæc finita, illa infinita eſt: illa ab æterno fuit, hæc minime, &c.

En mare immenſum, in quo Eteſiis & acu mnemonicæ adiutus, ſecure velificatione vti, exſpatiarique poteris, ac cum volueris, commodo portu frui.

Mnemonicam amplectendã ſic probo, Quia eſt bonum internum animæ, cuius adiumento res difficillimæ ac maximæ quæque memoriæ firmiter ac facilè commendari poſſunt, cuius cognitio à ſummis ingeniis, ac virtutis ſtudioſis ſemper deſiderata, vt vera germanaque ſcientia, quæ ſui peritos ad magnam

magnam nominis, famæ, doctrinæque gloriam prouehit. ergo,&c.

Hæc omnia,& singula necessariis adductus rationibus probare, & mihi facillimum,& vobis fortassis gratissimum foret, nisi in alium commodiorem locum illa transtulissem.

Quæ in reliquo suo tractatu habet Schenckelius, quia per se intellectu facilia,parumque ad rem nonnulla faciũt, ideo ea non persequar; sed cuiusque æquo iudicio, vt & hæc mea relinquam,à quo humaniter atque erudite corrigi mihi gratissimum, inique & sine iudicio molestissimum. Vale, viue, ac commodis in commoda vtilique materia, ad gloriam istius vtere, in quo omnis thesaurus sapientiæ ac scientiæ ab sconditus, αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

FINIS.

PRIVILEGIVM.

Hæc IANI PHAOSPHORI ΧΡΙΣΙΣ *eodem nititur Priuilegio quo Schenckelij detecti liber,in fauorem* BARTHOLOMÆI VINCENTII *Bibliopolæ Lugdunensis, vt constat ex ipso Priuilegio ad calcem eiusdem Schenckelij adiecto.*

SCHENCKELII DETECTI


EDITIO TERTIA.


In qua quidquid obſcuritatis & difficultatis, artificij tegendi gratia, præcedentes editiones adhuc habebant, candidè literarum amatoribus aperitur, ac communicatur à IANO PHAOSPHORO.

Tantum ſcimus quantum memoria tenemus, & non amplius.



LVGDVNI,
Apud Bartholomæum Vincentium.
M. DC. XIX.
Cum Priuilegio Cæſareo & Gall. Regis.







REVERENDISSIMO AMPLISSIMOQVE D. D. CLAVDIO DV VERGIER, Vaurensi Episcopo, fautori, ac Mecœnati suo maximo S.P.D.I.P.G.

SVMMVS *ille Romanæ eloquentiæ parens*, ANTISTES VENERANDE, *lib. 2. de Orat. cap. 21. inquit.* Gratiam ago Simonidi illi Chio, quem primum ferunt Artem Memoriæ protulisse. *Quod si æquum, vt æquissimum, meritò & nobis gratiæ referendæ ipsi Tullio, Arist. Quintil. D. Thomæ, Absini, Lullio, cæterísque summis ingeniis, qui sua industria hanc Artem collustrarunt, scriptis exornarunt, nobísque multò excellentiorem communicarunt. Cum nihil simul inuentum & perfectum vulgò dici soleat, quod potissimum huic arti Cicero lib. 3. ad Herennium*

accommodat. Nihil eſt enim, *ait*, quod aut natura extremum inuenit, aut doctrina primum: ſed rerum principia ab ingenio profecta ſunt, & exitus diſciplina comparatur. *At eò iam proceſſit nonnullorum malitia, vt in alia omnia abeant, beneficia maledictis compenſent, auctores hanc artem exornantes contumelioſis, ignominioſis, probrique plenis dicteriis proſcindant, lacerent, exprobent. Sed hi vt à gratia, ſic ab omni gratiore, & liberaliore doctrina, ac ratione alieni, quid mirum ſi ſine ratione iudicent? Alia mens, melior ratio Tibi, eruditioribus & Sapientioribus cum Tullio; eos auctores qui nihil niſi vtiliſſima quæque optima methodo ſcripſerunt etiam atque etiam inquirentes, eorum ſcripta diuiniora à populari ac communi Philoſophia remotiora, ambabus manibus amplectentes: memores huius Tullij,* Omnia præclara rara. *Quos inter cum libellus* LAMBERTI SCHENCKELII *Artificialis Memoriæ id temporis reputatus fuerit, vel propter inuſitatum artis tegendæ ſcribendi genus, vel propter materiei vtilitatem iuxta ac neceſſitatem, huius ſenſum pluri-*

mos

mos fugientem cum proprio marte assecutus essem, frequentésque me ex hoc nonnihil profecisse, magnúmque studiorum adiumentum acquisiuisse animo aduerterent, instant, vt eum detectum iis communicem; quod dum meditor, pluresque esse qui hoc expeterent, quàm vt iis vnum exemplum sufficeret. Bibliopola intelligeret, rogat me vnà cum aliis, vt typis mandem aliqua obscuritate Schenkeliana relicta, quod vt candori ingenij mei aduersabatur, sic ei nonnihil reluctatus tandem petitioni acquieui propter autoritatem Platonis, in Euthidemo hortantis: Vt res celeberrimæ atque arcanæ habeantur à Philosophis apud se, & paucis atque dignis communicētur. Hisce exemplaribus omnibus iam pridem distractis, per literas sæpius à me petiit idem Bibliopola, vt quod tum temporis in animo habueram iam exequar, & libellum omnino detegam, cui hoc promptius obtemperaui, quod plures meorum iam dudum idem à me efflagitarunt, & quia multos, post multum diligentiæ ac laboris, paruam vtilitatem ex præcedenti editione haurire intelligerem. Eccui hoc meum studium potius offeram

quam Tibi? ANTISTES PRÆSTANTISSIME, *cuius tanta in me extitit comitas, humanitas, beneuolentia, liberalitas, amor; quo mirum quantum tuæ mihi ſcriptæ literæ abundent, vt ni me iſtius memorem (gratum nihil dum poſſum) monſtrarem, ingratiſſimi animi crimen incurrerem, non quod hoc aliquid ad nominis Tui amplitudinem acceſſurum putem, (quæ per ſe tanta eſt, vt non duntaxat per totam terram Bituricenſem, quæ ſe tam ſuauem* Roſam *pretuliſſe ſibi gratulatur; non per totam Occitaniam, quæ ſe tam fortem* Leonem *ſucceſſorem iſtius de Tribu Iuda contra impiorum rabiem, cuſtodem fortitum ſibi gaudet; ſed per totam Galliam ceu* SOL *virtutum, doctrinæ boni exempli lucidiſſimus ſplendeat, ſplendebitque in dies magis, quod inſignia tua iam dudum præſagiſſe videntur, non inquam huius rei gratia, ſed vt me beneficiorum memorem oſtendam. Eccui plus poteſtatis, authoritatis, ac eruditionis conceſſum eſt, hoc leuidenſe opus à liuidis theonum dentibus vindicandi, quam Tibi? cui tam ſublime ingenium, tam acre iudicium cum ſumma in omni*

diſci

diſciplinarum genere ſcientia obtigit, vt in his facilè Princeps omnium Procerum iudiceris, nec mihi duntaxat, cui parum ad id luminis datum; ſed optimis quibúſque. Teſtis ſit vnus inſtar omnium nobilis ſatis ſuis præclaris ſcriptis editis D. Federicus Morellus Profeſſorum & Interp. Reg. Decanus, qui cum mecum in Tui incidiſſet mentionem, aicbat, O quàm præclarè cum noſtro Regno ageretur, ſi plures ei tales excellenti doctrina eſſent Antiſtites, qualis vnus ferè Reuerendiſſimus D. Epiſcopus Vaurenſis, qui tam laudabili deſiderio & ὁρμῇ ad omnium virtutum ſtudia tenderent, qui nil niſi commune Reipublicæ bonum ſpectarent, nil niſi literas promouere intenderent, & tum demum ea in ſede collocatam videremus rem noſtram publicam, quam ſolam beatam prædicabat Plato. Accipe igitur, ANTISTES PRÆSTANSISSIME, *pro virtute ingenita, & humanitate ſingulari, hunc mei ingenij fœtum, ac eum aquilarum inſtar, vt verus & eruditus harum rerum æſtimator proba, quem ſi approbaueris, non ſolum huic meo quaſi abortiuo ob moris Bibliopolæ impa-*

tientiam magnum honorem, insigne decus, gloriam perpetuam addes; sed efficies vt rariorem, maiorem, solidiorem, Tibi digniorem, iam dudum ex Lullianis seminibus conceptam, paream fortunam. Vale.

Viue, & Tui obseruantissimum, amare perge.

* * *

PRAE



PRAEFACIVNCVLA, & Prima Lectio.



QVICVNQVE artem aliquam cupit addiſcere, is amorem & deſiderium adferre debet. Nam ſine ſtudio & ardore quodam amoris, vt inquit Cicero, in vita nihil quiddam egregium, vllus vnquam eſt aſſecutus. Deinde non oportet offendi humilitate fundamentorum alicuius artis: quemadmodum dicunt Theologi in ſacris literis neminem debere offendi humilitate ſtyli. Si enim alias artes, diſciplinas, ac res omnes conſideremus, videbimus æquè vt huius humilia eſſe fundaméta. Theologia enim, Iuriſprudentia, Medicina, artes liberales ſeptem, hiſtoriæ omnes, anne 23. literis, quæ ſunt figuræ certo modo ductæ, ſeu imagines tanquam fundamentis innituntur? Muſica pro fundamento habet tres claues, quæ no-

tari ſolent,& ſex notulas, quas ignarus rideat: & tamen ars tam excellens iis innititur, vt hominem etiamſi per totam ſe in ea occupet vitam, tamen ad ſummum apicem eius nondum perduxerit. Idem iudicium eſt de eis arithmeticæ notis, quæ vario modo connexæ, non ſolum quemlibet vſque in infinitum ferè numerum ſuppeditant, verum Arithmeticus etiam earum auxilio & ſubductione, difficillimas ſoluit quæſtiones captum ignorantium penitus ſuperantes. Quid dicam de naturalibus? ex glande, ſemine pyri, tam altas tamque ſpatioſas naſci arbores? ex grano ſynapis arborem in qua nidificent aues? Præterea ex terra eruuntur lapides, idonei calci conficiendæ, item ſtructuræ: ex ipſa gleba etiam lateres coquuntur, arbores diuerſæ ex eadem enaſcuntur, quæ omnia rudia & inepta; humilia & abiecta apparent: eadem tamen arte accedente, domos, templa, caſtra, vrbes, prouincias, totum denique terrarum orbem conſtituunt. Si igitur omnium rerum humilia ſint fundamenta, mirari neminem decet, etiam huius

huius artis talia esse. Alioqui si ex hac lectione aliquis de vtilitate ac fructibus artis velit iudicare, animum facile abiiceret, desperans tam mirabiles effectus his talibus principiis inniti.

Fundamenta huius artis sunt locus, imago, ordo locorum, & imaginum praxis, siue ipsum exercitium. Locus est imaginum sedes seu receptaculum, hoc est, spatium, in quo imago potest collocari. Accipimus autem pro locis domos aliquot in quarum vnaquaque cubicula ordine, & in his parietes: ac certum in iis numerum locorum obseruamus, hoc modo.

Intrantes domum dorsum ostij opponimus parieti, à sinistris primus est: quem alij ordine sequuntur loci, aut mensa: pro manu sumimus parietem quandiu in tradenda versamur theoria: & non alias. In primo parietis angulo, iuxta terram locus capitur primus, ac deinde sequũtur alij, eadémque forma seruatur in sequentibus omnibus parietibus. De conditionibus locorum nihil est hac vice dicendum, cùm tales demonstrati sint, in quibus eæ fere præ-

ſertim iam in principio neceſſariæ obſeruantur: vt pote quod debeat quis multos habere diſtantes ordine, ac diligẽter meditatos de quibus ſtatuto tempore latius erit dicẽdum. Imago eſt forma ſeu nota eius rei quam meminiſſe cupimus. Dialectici ſpeciem appellant, rerum autem quæ ſub aſpectum cadũt faciles ſunt imagines, quia nulla res ſine imagine in intellectum recipitur, rerum, quæ aliis ſenſibus exterioribus, aut nullo percipiuntur, quamuis non ita in promptu ſint, tamen induſtria humana modum inuenit, quo illæ etiam ex tempore repræſententur, ad quas iuuamur multum hiſtoriis & fabulis, aliiſque libellis per imagines naturales expreſſis, quales ſunt catechiſmi quidam, item Liuij compendium, Ouidij metamorphoſis, Virgilius, & bellorum noſtri temporis. Imago duplex eſt propria quando pro re ipſa ponitur cuius eſt imago vt Chriſti pro Chriſto: impropria cùm ponitur vt repræſentet virum: Salomonis, vt regem: S. Michaelis, vt angelum: pomi vt arborem, &c.

Secunda diuiſio, alia perfecta ac firma,

ma, vt rerum excellentium, ac rararum: alia imperfecta seu imbecillis vt rerum quotidianarum, ortus Solis ac occasus: eclypsis Lunæ ac Solis fortius excitabit, quia rarò accidit. De ordine non opus est nunc plura dicere, quia ita se miscet, vt nihil progedi sine eo possimus Iam antea enim dictum est, domos, cubicula, parietes & in iis loca ordine capienda: hoc tantum addendum, ipsas etiam imagines ordine debere poni. Quemadmodum enim si transponantur literæ aliud repræsentat vocabulum; ita etiam imagines, exemplo sit, ALABANDENSIS.

Neque enim nunc de praxi aliud dicendum, sed alias præsertim vltima lectione cùm ostendemus quomodo exercere artem, & studiis nostris vel actionibus eam applicare debemus. Nunc igitur manum operi admouentes attingemus praxios aliquam partem, incipientes à simplicioribus ac minoribus vocabulis, videlicet quæ quatuor modis memoriæ commendantur, quorum primo vtemur tamquam perfectiore, reliquos tamen tres præmittemus.

Secũdus modus fit per ſcripturam, cùm illas dictiones quæ nobis dentur in ſingulis locis aureis literis, magnis, & inſigni ferè loco conſtituemus, ita vt animum applicãtes, quaſi non imaginariè, ſed reuera materialiter eſſẽt deſcriptæ.

Tertius fit per imaginem, hoc eſt, cùm imaginem vocis dictæ collocamus. Quartus cùm vtrumque & ſcripturam & imaginem, qui modus paulò vehementior eſt quàm 2. & 3. nullo tamen trium vtimur: quia imbecilliores ſunt quàm vt memoriam efficaciter excitare queant: quanquam exercitatio quotidiana opinione longè maiorem, etiam in aliquo dictorum promptitudinem adferat. Primus autem quo vtemur eſt talis: vocabula memoriæ commendantur, & retinentur imagines illorum in locis poſitis, attributa aliqua inſigni actione; quæ ex veteri vel nouo teſtamento, ex hiſtoriis prophanis, ex fabulis Poetarum, aut ex vita communi ſumitur; ſi verò nihil ex tempore occurrit, fingemus quamlibet actionem, quæ affectu aliquo vehementi ſtatim excitet memoriam, quæ omnia exem-

plis

plis fient clariora. In prima imagine, primo pariete primæ domus ponatur petra ac aſtet Chriſtus qui tanquam faber lignarius ædificat, ita vt paulatim exurgere videatur Eccleſia, eaque actio ſic ad viuum debet in eo loco conſpici, quaſi re vera ibi eſſet: ſicut cùm in comœdia alius Regem, alius aliam perſonam repræſentat, non quod reuera res ita ſe habet, repræſentatur tamen quaſi vera. Sed quomodo dicat aliquis iubes me videre in eo loco quod non eſt; ac ridiculum alicui præſertim indocto videri poſſet. Reſpondeo hanc artem imaginibus vti incorporeis, ſicut mens incorporea obiectũ requirit incorporeũ.

Nam oculi corporea tantum vident, & non coporis expertia; mens verò incorporea: eſt namque hæc ars nobilior, ac compendioſor ratio ſcribendi & legendi ex locis per imagines, quàm ſcribendi & legendi literas in charta ſcriptas vel impreſſas. Neque mirum videri debet incorporeas imagines mente videri. Fit hoc ipſum quotidie ab omnibus. Si quis enim velit ad memoriam reuocare, quæ ante aliquot annos in

ſcholis audiuit, vel in concionibus, certè oculis incorporeis eorum nihil videt: item quæ in aliis terrarum locis vidimus, nunc hoc concluſi cubiculo cernere fas non eſt, ſed tantum quæ iam hic oculis obiecta; mente autem omnia poſſumus, quid quoque loco ac tempore acciderit. Sic iam domo abſens eam, eiuſque ſingulas partes mente tranſeo: video etiam perſonas actionéſque earum, ſicuti antea oculis corporis, nunc menſæ aſſidere tali loco ac ordine, nunc illam nere, hanc ſuere: illum in horto fodere, &c. ita etiam mortui imagine nobis occurrunt quaſi viuerent, teſte Ouidio,

Ante meos oculos tanquam præſentis imago
Hæret, & extinctum viuere fingit amor.

Sed quomodo iubes me ibi partem repetere, cùm imago Chriſti & Eccleſiæ ſit in eodem loco? ipſa mẽtis electio ſic præſupponentis facile dubium tollit, vt licet plures in vnò loco ſint imagines in attributa actione ſic mẽs eligit,

vt per

vt per actionem quæ variis imaginibus exprimitur , excitetur memoria, vt legam petra, nunquam aberrabimus: præcipuè post aliquam exercitationem, neque opus est semper totam actionem videre, antequam occurrat vocabulum; sed ad vnam aliquam imaginis actionem statim se offert vox repetenda , vt in exemplo.

Si Christus vel Ecclesia videatur vel petra sufficit ad excitãdem memoriam. Obseruandum hic etiam ne iam aliquot vocabulis positis, dum occupamur in sequentibus , solliciti simus ne excidant priora: metus enim ille impedit & dum occupamur, ita id tũ facere oportet, vt dum ad hunc, illum , tertium & locum mente redimus ex actione legamus : alioqui si quis putaret ex repetitione vel applicatione mentis id facere , vt repetat , etiamsi nihil ex actione videret , is falleretur.

Sit igitur in præsenti tẽpore de præsenti voce , aut sententia vel re , cura atque ita progrediendum , donec iam voces 25. aut sententiæ 12. vel res quatuor vel quinque sint positæ : ac sic im-

pletus paries, vt tum fiat repetitio.

In ſecundo caſtrum hic ex vita communi ſeu pictura, pono elephantem, & in dorſo caſtrum, quod à militibus acubus, ac iaculis defenditur; contra alios ex terra ſimilibus inſtrumentis oppugnantes. Iam iis experientia prima hora oſtenſis, quæ nemo mortalium ſine arte præſtare poteſt, etiam ſummis propoſitis præmiis; doceamus hanc artem ita naturæ conuenientem, vt exerceatur ab omnibus paſſim hominibus, quamuis ipſi ignorent.

Sicuti enim omnium artium ac diſciplinarum initia à Deo indita ſunt, quibus coniungentes exercitium præclari euadunt, ita huius etiam. Quod patebit ſi quis velit vitam ſuam ad memoriam reuocare.

Hanc itaque primam lectionem ita finimus cum admonitione, vt iam aliqua horis intermiſſio fiat exercitij, deinde repetitio, recto, retrogrado & intercalari ordine, vt hoc modo promptitudo aliqua comparetur: & hodie cubiculum vnum ad formam preſcriptam ſingulis erit meditandum, vt proxima

lectione

lectione ſit paratum ad alia excipienda.

II. PRÆLECTIO.

Regulæ ſententiarum, & 12. exempla.

MEMORIÆ commendantur ſententiæ principalium vocabulorum imaginibus in locis poſitis minus principalibus, ita applicanda memoria naturalis, vt illa adiuta præcipuorum imaginibus, etiam minus principalia ordine repetat. Sũt autem in omni ſentẽtia principalia omnia nomina ſubſtãtiua & verba, exceptis iis, quæ per eclipſim in oratione ſubaudiri poſsũt: adiectiua ſi pro ſubſtãtiuis ponãtur; aut ſignificationẽ ſubſtantiuorũ impleant, aut augeant: vt dum dicitur. Magna qui ſectatur, pro, res magnas: item magnæ vrbes, hic adiectiuum neceſſariò exprimendum, alioqui adiectiua pro minus principalibus habentur, vt etiam pronomina, aduerbia, cõiunctiones exprimi

primi debeant, vt ſatius eſt vnum aliquod inſigniter facere, quàm plura mediocriter, niſi hic imago vtriuſque exprimatur non offeret ſe ſententia. Vt autem felicius hæc ſuccedat in ſententiis exercitatio valde iuuabit. Primò, ſi ad primariam vnam cuiuſque ſententiæ imaginem diligenter attendamus, deinde ad primum vocabulum, alterutro etiam horum animaduerſo facilè reliqua occurrent. Sicut enim oculis, ſi vna, tres aut quatuor literæ videantur, aut in ſententia vnum aut duo vocabula prima, reliqua ſe ſponte offerunt; ita etiam hic fit.

3. Adhibenda cura ne ſyn. pro ſyn. ſubſtituamus, nam in iis facilis eſt lapſus. 4. Vt eundem ordinem quo ſingula dicta ſunt, retineamus: ne videlicet dictio vna alteri præponatur aut poſtponatur, quæ omnia applicatio mentis aut exercitium ita facilia reddent, vt quod iam initio tardius & adhibita inculcatione, ac repetitione fit; poſtea tanta celeritate, atque aliquis loquitur, ſiue in ſuggeſtu, ſiue alibi aſſequamur. His ita clare de ſententiis præmiſſis, exiſtimo

non

non repetituros tamen, nisi rem exemplis declaremus: adeo verum est, hanc artem ex libris vel scriptis, sine viua voce & demonstratione non percipi, vt pleræque aliæ artes liberales, aut grauiores disciplinæ. In primo loco ponitur nauis, in ea princeps, iuxta quem consiliarius, in cuius toga multæ aureæ literæ, vt in regali toga Regum Franciæ pingi solent aurea lilia, (in sua nullum prorsus habet) deinde vbi remex sedere deberet nemo est, & remigia etiam non apparent, fertur quoque tardo & obliquo cursu, ex his prima pars, & volucrem deplumatam ciconiam, gruem, vel aliam suspendo, ex clauo malo nauis infixo: & hinc fit reliqua sententiæ pars &c. Obseruandum hic semper studiose, vt quoad fieri potest accurate, & ad sensum & ad vocabula accommodate, exprimantur omnia: si vero non ita res finit vt ad sensum, nihil impedit quin aliter fiat, modo tales sint imagines quæ memoriam excitent, & menti legenti se offerant: quemadmodum in sententiis & vocabulis satis declaratum esse arbitror, vt is cui res cor-

di

di eſt, facile videat, quomodo eam aggredi debeat. Ad hunc quoque modum textus continuus memoriæ imprimitur, ac retinetur. Diuiditur enim per partes minores. 2. 3. 4. 5. regularum, & tum vnaquæque per imagines expreſſa, in loco ponitur, quod felicius in textu continuo ſuccedere debere videtur, quam in ſententiis, in quibus ſingulæ diuerſam habent ſignificationem: in illo verò continuatio fere eſt eiuſdem rei ſeu materię. In titulo tamen de concione & oratione & de ratione colendæ memoriæ ex preſtantiſſimis Rhet. tam Græc. quàm Rom. ſcriptoribus plura huc ſpectantia habentur.

III. PRÆLECTIO.

Regulæ rerum.

RES memoriæ commendantur dum ſummatim ipſorum negotiorum imagines ſuis locis apte collocantur. In qua deſcriptione quatuor innuuntur. Primum vt quidquid legimus, videmus

mus, vel audimus longe lateque diffusum, in compendium contrahamus: Secundũ vt aliquid apte diuidamus, ne quod in vno loco poni debebat, separetur; aut quod seiungendum coniungatur. In quibus modis si quis ita versatus sit, vt feliciter ea præstare possit, is aptior paratiorque ad hanc rem fuerit; sin minus exercitio paulatim ea sunt comparanda. Tertium. vt imagines(quæ res ipsas comitantur semper sicuti in sole ambulantibus vmbra corpus) debito modo collocentur. Quartum. vt quisque paries: deinde totum cubiculum repetatur; atque hac exercitatione quotidiana promptitudo comparetur. Quemadmodum igitur Consiliarij, senatores, aut alij, quibus de processibus multis chartæ foliis, centum aut pluribus vtrimque instructis, est referẽdum, primum legunt & copiose ea notant in quibus cardo rei seu ipsa controuersia consistit, & describunt vna, 2. 3. 4. paginis, aut ad summum integro folio, & deinde ex epitome hæc ad senatum referunt, vt fiat iudicatio; ita nobis quoque in hac arte erit faciendum: Neque

ne

necessum est omnia tam exacte imaginibus efferre, nam vnica sæpe imagine 2 3.4. aut paucis saltem longissimæ historiæ possunt meminisci, quod maximam promptitudinẽ ac facilitatem adfert. Quemadmodum nempe si curren-ti fonti epistomium opponamus, aqua sistitur, eoque remoto, fluit, quamdiu suppetit ipse fons continuò: vel sicuti ignis cineribus tectus, latet: admoto leuiter sulphurato exsuscitatur: sic memoria quæ debitè ipsi tradita sunt, monita vel minima imagine, vel signo, reddit quidquid fideliter traditum fuit: vt ipse sępe admiremur successum opinione & exspectatione fœliciorem Ad hũc modum exercitij causa consultum erit se in historia Iosephi exercitare, quæ latissime Gen.c. 37. habetur; nunc interim in sequentibus.

1. Nemroth. Gen. 10. 11.
2. Daniel lib. Dan. 1.
3. Heliodorus 2. Mach. 3.
4. Machabæi 2. Mach. 7.
5. Ananias & Saphyra. Act. 5.
6. Liberatio S. Petri. Act. 2.
7. Couuersio S. Pauli. Act. 9.

8.Tentatio Christi.Matth.4.
9.S.Gregorius Magnus inter 12.paupe-res Christum excipit mensa.
10. S. Nicolaus ciuibus de frumento prouidit in caritate annonæ.
11.Idem tribus puellis de dote.
12. S. Martinus parte pallij vestit nu-dum.
13.Factum Mutij Scæuolæ.
14.Horatij Coclitis.
15.Marci Curtij.
16.Marci Attilij Reguli.
17. Fabula Persei & Andromadæ. Met. Ouid.
18.Niobisibidem.
19.Pyrami & Thisbos.ibid.
20.Pueri è ludo lit. res paruas deferen-tes.
21.Partus prodigiosus Maltildis Comi-tissæ Hollandiæ.
22. Nobilis Hollandus in caritate an-nonæ frumentum vili precio vendit.
23. Hatto 2. Bonosus Episcopus Mo-guntinus.
24.Mulier Coloniæ sepulta resurgit an-no M.CCClxvII.
25. Puella Spiræ ruina parietis obruta,

illæſa educitur ſequenti die.
26.Antiochus Soter.
27.Veſpaſianus Imperator.
28.Vrraca Regina Arragoniæ
29.Alexander Magnus Beſſum &c.
30.Erchembaldus Barbuiinſis.
31.Mulier in fœtido lacu balneans.
32.Rex honorans duos Monachos.
33.Anna Italica.
34.Ancilla triduo ſuſpenſa.
35.Gerardus à Marca.
36. Adoleſcens in horto cum amaſia confabulatur,
37.Tres latrones.

IV. PRÆLECTIO.

De vocabulis non intellectis.

VOCABVLA non intellecta quatuor etiam modis memoriæ imprimuntur. Primus per diuiſionem: ſi enim integrum non offerat imago (non intellectorum ſiquidem nulla occurrit) diuidemus in duas, tres aut plures partes, idque varie tentabimus, donec ita diui-

ſum ſit, vt imaginem ex vna duabus aut pluribus eliciamus: quod poſt modicam eamque iucundam exercitationem, ita ſuccedit, vt inexperto difficile ſit creditu: præſertim ſi diuiſis partibus eliciamus, cùm alioqui non adeſt imagini litera aut Syllaba, in principio, medio, fine: addita, ſubſtracta, tranſpoſita, vel variata ſuccurramus, vt pro cogrype, ponam dogriui: cum electione mentis, priorem literam eſſe mutatam, ideoque reſumendã. Exemplo ſit ALABANDENSIS cognomen Phiſophi, apud Ciceronem, integrum nullam dat imaginem, diuiſum plures: ala pars auium eſt, *band* ligua Germanica vinculum, aut ligamen ſonat, ENSIS gladium ſignificat, his in loco poſitis ſemper ex imaginibus tanquam literis legemus vocabulum. Obſeruandum tamen eſt vt ſicuti literæ ordine, ſic imagines etiã componantur, alioqui offeretur aliud BANDALAENSIS, ENSISALABANT &c. COLONIENSIS duo coloni enſem ſibi conantur eripere, quod licet & alias expeditius per hominem ſcutum in pectore tribus coronis

ornatum repræſentaretur. Vtor tamen exemplis ad demonſtrationem accommodatis. V E S P A S I A N V S, hæc moleſtatur ab illa, & luctatur cum illa depellēda in quo(S I)nullam quidem habet, neque opus eſt, ſufficit namque primam, vel hanc & ſecundam, vel primam & vlt. vel hanc & penultimam &c. videri † imaginem. *Reliquos tres* modos quos auctor hic habet, tanquam difficiliores breuitatis cauſa omitto &c. Res autem quarū imagines nullo ſenſu percipiuntur, duobus modis exprimuntur 1. per ſimile 2. per diſſimile: per ſimile ſignificatione, ſicuti Ægyptij pro literis & dictionibus pingebant animalia, plantas, herbas, petras & ſimilia, conſiderantes aliquam proprietatem, inter rem ſignantem & ſignatam: ſuperbiam pauone; pigritia teſtudinē: fort. leone; voracem lupo, prudentem ſerpente &c. exprimentes.

Per ſimile voce integra, quando intellectus ad id ſolum intendit, quod vox ſonat, & ſcriptum offert: idque fit duobus modis, 1. cum ſignificat rem diſſimilem re, & ſimilem voce integra, vt ancora

ancora anchora. 2. voce non integra, ſed ſecundum partem,& tunc imagines inueniemus his adminiculis, iunct. litt. aut ſyll. in principio , medio , fine par pro Epenth. Parag. 2. per Detract. per Aphar.Sync.Apoc.3. per tranſpoſitionẽ literarum,aut ſyllababarum race, cera: alto,lato.4.per variationem,bentre,vẽtre,centre:pyrgo,virgo. 5. per agnominationem:ora, ara,hara:læto , luto:parla,perla &c.6. cõpoſitione quies qui es. 7. per diuiſionem de qua late dictum ſupra.2. Per diſſimile vero,per oppoſitum quod nobis ſæpe in memoriam inducit alterum , quo tamen non ſemper vtendum , niſi aliquãdo in rebus certis, vt in relatione ſeruus pro domino,ſi hic non eſt notus ille vero fuerit:diſcipulus pro Magiſtro:filius pro patre.In contrariis, vt ſi albũ pro nigro, coruus pro cygno:Æthiops pro albo &c.aut vice verſa collocetur. In priuat. cœcprouidente mut.pro loquac.ægrotans pro ſano,&c. multáque alia per Iron. antiphr. probata. Nollem vt hac reg. niſi in relat. neceſſitate quadam vrgente. Oportet tamen his etiam dare ſignum, quo con-

ſtet nōpro ſe,ſed pro oppoſito collocari.

CONNEXIO Grammatica & facilis eſt tractatio, & appellatur, quod etſi eſt diſſimile, tamen aliquo modo coniunctum eſt rei explicatæ vt tym. vexil. haſta: bombarda &c. pro bello. non quod illa hoc ſint, ſed ita coniuncta, vt ſine iis non geratur. Et reducitur ad ſex capita 1. Geſtum 2. Etym. 3. ſignum. 4. inſignia reg. ciuit. & famil. 5. inſtrumenta 6. ſolitum dici. Signum reſoluitur in 11. partes quarum 1. eſt efficti o. 2. notatio 3. difinitio & deſcriptio poëtica 4. Etym. 5. Onomatopœia 6. effectus rerum vt ſi nomina dierum colligamus. Dom. ſolis, feriam. 2. lunæ &c. imaginem exprimamus, vel auro vel argento, ferro, vel reſurrectione Chriſti, maledictione fici. Nuptiis in Cana Galileæ. 7. inſignia & hæc ſunt triplicia perſonarum, locorum, rerum. 8. inſtrumenta. 9. motus partium corporis 10. oppoſitum. 11. accidens & propriũ ſubiecto notatur. 12. cognitio cauſæ. Verboſius de his in ſuis catalogis D. Bruxius.

VOLVNTARIVM appellant cum certis dictionibus vtimur ad voluntatem,

&

& placitum noſtrum:pro aliis quæ nullam habent imaginem, vt ſint aduerb. coniunct: præpoſit. interiect. eliguntur itaque 300. 400. aut 500. vocabula, imagines oculis exterioribus habentia obiectas, quorum vnũquodque pro alio ponitur, non habente ſignificatum figuratum, eaque ordine ſcribenda ſibi oppoſita, & diſtinguenda; ex quo conſtat non pro ſe poni; ſed voluntarium eſſe quod fit colore, vt ſi agnum velim eſſe alicuius voluntarium aureum ponam &c. quod factu eſt expeditum. Solent autem variis modis vſurpari, quidam imag. hominum nomina, alij appellatiua vſurpant quæ nuda ſunt, quia nullam habent rationem præter voluntatem:cuique vero ego talia exiſtimo capienda, quæ etiam cauſam habeant. E.G. ego egoceros, luti, tuba &c. hoc eſt vt talia ſumantur, quæ in principio eam particulam, pro qua ponuntur, offerant: in quibus dupliciter memoria iuuatur, vt autem felicius ſuccedat exercitium, obſeruãda ſunt aliqua. 1. conſiderandum in qua arte, profeſſione, aut exercitio quis velit vti volun-

tario, an latina, an vulgari? an in Grammatica, Log. Theolog. concionibus &c. ac eius professionis sumãtur notiora vocabula, non figurata, eaque in tabellis ordine ex aduerso scribantur. 3. sequenti exercitatione memoriæ infigantur, vt legẽtibus vel audientibus eorũ aliquod statim cognoscatur esse voluntarium. Nec est quod aliquis existimet, in principio hoc esse magis laboris: nam est res admodum vtilis magnique subsidij: quæ octo diebus ad praxim redigatur perpetuam: adferente miram promptitudinem, ac facilitatem memoriæ, & adferente magnum studium formandi imagines rerum non figuratarum: conducit autem potissimum iis qui audientes lect. conc. aut aliud quid collocant.

Numeri arithmetici variis modis efferuntur. 1. ipsis figuris quibus formantur, siue vulgari, sed magna valde figura, & nitentissimo colore insignibus, alioqui propter nimiam familiaritatem facilè fallerent. Instrumentis vtimur aut rebus similitudinem eorum referentibus: & hic propter nouitatem efficax est, & reliquis præstat: cerea,

candela, vlna: cygnus, furca, ſerpens, rortus, triangulum: quadrans, teſſera, quadrata figura: manus, ſtella, ſecuris, calix, horolog. arenarium, perſpicillum cornu, circulus, tomex, annulus; ex quibus quilibet in infinitum habetur.

In his copulandis dexteritate quadam opus eſt, vt elegantiores ſint. Alij imagines Sanctorum, aut hominum accipiunt, quorum primæ litteræ conueniunt cum figura. I. Ioannes Zach. Qur. Hier. Ludouicus, conſiderantes latus inuerſum; Octauianus, Conſtantinus, verum videtur incommodior ratio coniungendi.

Sunt qui aliis vtuntur Phœnice, Parnaſſo, tribus parcis, quatuor Euangel. quinque libris Moſis. 6. Hydris, 7. planctis, vel panibus. 8. tomis vel ſimilibus; qualia quilibet infinita poteſt excogitare, quod liberum cuique eſt pro ſuo arbitrio; ſed & hic conſule Bruxium.

Collocationem perſonarum huic prætereа lectioni adiungimus, quæ fit tribus modis. 1. per propriũ, cùm perſonam à nobis viſam, vt ſi Henricum III. Francorum Regem, Ducem Alexandrum,

Fernesium,Ernestum, Archiducem ego velim exprimere,quos vidi 2.per imaginē cùm viuam personam non vidimus, sed ex signis nouimus: Sic Christi, B. Mariæ,Apostolorum,Prophetarum,Patriarcharum,omniumque quæ ante nos fuerunt Sanctorum , vel hominum vtriusque sexus collocamus , vt si quis Erasmi personam velit, sic ponat sicuti ex imagine illam vidit , &c. 3. Per simile cùm neque personam viuam vidimus, neque imaginem , vt si faciamus nullam extare Clemētis Papæ, Rudolphi Imperatoris, constituamaliquem qui Clemēs vocetur de facie bene notum , & illum ornabo habitu Papali:aliquem qui Rudolphus & induam habitu Imperatorio,atque ita ex faciebus notis nomina , vestibus dignitatem colligemus:idque in omnibus aliis ita erit faciendum.Sed hic consule Bruxium,vt & in figuris arithmeticis.

Quem tamen si forsan ad manum non habeas , huc tua causa loquentem introducere nō grauabor ,vbi sic exprimit numerum.

1.Culter,gladius,piscis,columna,hasta, bacu

baculus, candela, bombarda, ſagitta, panes ſimilaginei ſeriatim diſpoſiti.
2. Serpens, anſer, anas, cygnus.
3. Cornetta, numella explicata.
4. Cingulum retortum, forceps, laqueus reflexus.
5. Anguilla tortuoſa, circulus inuerſus ſine axe.
6. Teſtudo, ceruta, funiculus cũ modo.
7. Gnomon ſeu quadra fabrorum, genu flexum.
8. Sertum contortum, arenarium: cucurbita duos ventres habens; ferrum quo vitra decurtantur, ocularia.
9. Claua, pomum cum pediculo, pyrum oblongum, pedum Epiſcopi, pedum paſtorale, laqueus quo capiuntur canes.
Res certi numeri ita diſponit.

Vnum, Deus, Phœnix, Sol, Polyphemus, Monoculus, homo vnius pedis.

Duo, Parnaſſus Biceps, Brutum Cornutũ, Tabulæ Moſis, Puniceps, Forpex, Furca bicuſpis, Patibulum duarum columnarum, Homo auritus Plinianus.

Tria, Tridens, Cerberus, triceps, tripes, cui ſerei applicantur.

Patriarchæ tres, Trifolium, Triangulus, Patibulum trium columnarum, Sella trium pedum, Equus currum trahens, Instrumentum fabrorum, dictum Schraubruhirher.

Quatuor, Animal quadrupes, Fritilus Brut xial, Craticula, Quadrans, Tessera, Feretrum. Instrumentum super quo farina & aqua miscetur, Currus Hollandicus: vel alius sine temone.

Quinque, pes quinque digitorum, Manus, Libri Mosis. Chirotheca, Equus currum trahens, Pecten quinque dentium, Currus cum temone, Mitra certæ formæ, Vas puluerarium stãneum cum circulo, Testudo progrediens amputata cauda, Vir extensis brachiis & cruribus in calendario, Mus maior caudæ longæ.

Sex, Hydriæ sex Cananeæ, Mare singulis sex horis refluens, Stella, Quadrupes cornutum, Testudo progrediens.

Septem, Planetæ septem, Hephtaphylum, Electores septem, Candelabra aurea septem, Stellæ septem in manu.

Octo, Currus à quatuor equis tractus, Cancer, Scorpio.

Nouem, Musæ nouem, Canis nouem

annos ferè non excedens. Terga nouem boum.

Compoſitus numerus. Decem crux ruſticorum, Fundamentum, ſuper quo ligna diſſecantur, Verticillus ſemitarum, Notæ vnitatis cum annulo, circulo, pomo, &c.

December, Decipulum, præcepta Decalogi decem. Tribus decem à Rechabhamo deficiẽtes, manus ambæ, pes vterque, Moneta Bohemica maior, decem nummos valens.

Viginti, Triginta, Quadraginta, eodem modo quo decem formantur.

Quinquaginta Ocrea, Pes minor cum cruce, ſecuris, Gnomon, figura numeri 5. & litera o.

Centum, Semicirculus, Luna corniculata, cornu venatoris, arcus, equus perduos circulos ſaltu vectus, Forma numeri 1. & literarum oo.

Mille, Anchora, notæ aliæ M. literæ. Millepedæ, Equus per tres circulos ſaltu vectus, formæ numeri 1. & literarum oo.

Ex dictis facile eſt colligere, qui reliqui numeri compoſiti formentur.

V. PRÆ.

V. PRELÆCTIO.

De Concione, Oratione, Argum. &c.

CVm nobis ipſis habenda erit concio, aut oratio præſupponitur facta eſſe, ſiue à nobis ſiue ab aliis ſcripta, impreſſa vel ſaltẽ mente concepta, & locos in cubiculis ita meditatos, vt de iis nulla cura diſtrahamur, ac tum primo concio, vel oratio, ſemel attente, tardeque erit legenda, totam vt materiam in genere mente concipiamus: ſecũdo deinde in tres vel quatuor partes maiores. videlicet thema, primam partem, ſecundam, & ſi fuerit tertiam diuidamus, & in medio primi parietis thema, in medio ſecundi, prima pars, in medio tertij parietis ſecunda pars, in medio quarti parietis tertia pars diſponatur. Tertio vnamquamque maiorum partium diuidamus in 4. 6. 8. vel plures minores pro memoriæ exigentia. Quarto imagines cuiuſque minoris partis in quatuor circumſtantibus locis ponamus, qui ſi non ſufficiãt quatuor interponemus aliis, erũt octo circum

cumſtantes aut ex vnoquoque locum parietis efficiemus & viginti, circumſtanter habebimus in primo pariete;ac cẽtum locorum in primo cubiculo qui abũde ſufficient ad longiſſimam cõcionẽ, aut orationem. Quinto repetẽtibus cuiuſque parietis, deinde omnes quadranguli, ac ſemel tentandum an ſatis feliciter ſuccedat lectio ex imaginibus & pronunciatio. Si ipſi voluerimus habere, tum non adeo vrgemur tempore, ideoque licet bis perlegere & tardius progredi in operando. Sed ſi viuã voce habitam velimus excipere, eodem modo vt dictum demonſtratúmque eſt, procedemus. Verùm vt tanta celeritate quanta quis loquitur, vel more ſuo, vel data opera aſſequamur : his quatuor fiet adminiculis. Primum, ſi conſideremus hanc excipiendi per imagines rationem tam eſſe compendioſam, vt quòd mille aut pluribus dictionibus non poteſt efferre, quas ille ordine vnam alteri debet ſubiungere pronunciando, nos hac arte paucis imaginibus efferemus : interdum quatuor quinque ſex, nonnumquam vna : aut duabus

quod

quod ille tamen multis:ac ſimul plures imagines, affigimus:vt in 37. exemplis clare patet. Quo ſolo obſeruato citius, excipere, quàm aliquis etiamſi maxime conetur efferre valeat poſſumus. Secũdum eſt in omni concione vel oratione multa dicuntur quæ ante ſcimus; præſertim ſi quis multas legerit aut audiuerit; & tum antequam octo, aut 10. verba protulerit, præcurremus: arrectis tamen auribus aſtantes, vt etiam cognita nobis viua voce confirmemus. Si tũc ſubiungitur aliquid quod ſcimus; eodem progrediemur modo: ſi quod neſciamus, tunc, vt dictum eſt paulo ante, operabimur. Nec opus eſt omnia exacte collocare, ſed principales particulas, omiſſis minus principalibus, quæ cum vel præcedendo, vel ſequendo cohæreant, facile offerunt, ſicuti dictum eſt de vocabulis minus principalibus.

Tertium eſt concionatores docti ſolent in fine repetere ſummatim, quidquid in tota dictum eſt; indocti vel qui inopes materiæ ſunt, aut non bene ſtuduerunt, idem in eadem bis terve, poſt aliqua interiecta repetunt: deinde aliis

ſub-

ſubiunctis,ad illud quod ante,etiam dictum fuit,relabũtur; nobis autem ſufficit ſingula ſemel poſuiſſe:niſi quid forte omiſſum eſſet, vel propter defectum promptitudinis exercitij comparatæ, vel nimiam dicendi celeritatem: propterea ex præcedentis concionis ſummario,in fine repetitione,id liceret ſupplere. Si autem ob cauſas modo dictas concionatorem vel oratorem non poſſemus aſſequi , conſultum eſt locum tranſire,1. 2. 3. aut plures;vt fit in ſcribendo.ſi enim pertinaciter velimus inſiſtere priori alicui parti , forſan ipſam habebimus; ſed ipſo interim progrediente plura omittemus ; idem hic eueniet , vt taceam hoc ipſo quod quidam vocant maximè excitari memoriam, vt in repetendo poſtea facile ſubueniat, quidquid ibi fuerat reponendum : dum cogitamus quartum locum vacuum reliqui,& debui hoc diſponere.

Quartum eſt ipſa exercitatio , vt videlicet deinceps incipiamus hæc ipſa præcepta vſui applicare initium faciẽtes à cõcionibus ſimplicioribus,ac breuioribus,quales ſcripſit Iodocus Clich-

tho,

thouæus, Rudolphus Ardẽtius & alij nõ ab iis qui tantum complectuntur materiæ, quantum sufficiat tribus aut 4. concionibus: & in illis ipsis simplicioribus omittendæ erũt omnes citationes sacrę Scripturæ & Patrũ, donec tantum profuerimus, vt nudam concionem facile consequamur: deinde quatuor citationes addemus, postea 12. 16. 20, 24. tandem omnes: non progredientes ad maiorem numerum, donec experientia compertum habeamus in minori retinendo nos satis promptos.

In orationibus quia illæ plures habent partes minores, paulo aliter sese res habet, & quamuis liceat formã locorum & ordinem seruare quem primo diximus, tamen non inconueniens videtur nouẽ vocabulis vti in primo pariete, & ordinem mutare; vt incipiamus ab angulo superiore parietis recta linea procedẽtes, idque ex suggestione Ciceronis, qui libro Acad. quæst. ait, hanc artem germanam sororem esse literaturæ, quod si est & literarum ordo; apud nos ita progrediatur, vt dictũ est, & in figura ad oculum ostensa apparet,

nos

nos modo hunc ordinem in collocatione orationis ſequamur. Atque exordium in primo loco, propoſitionem vel partitionem in ſecundo, ea quæ natiuitatem anteceſſerunt, vel primam confirmationem ab honeſto, in tertio, quinto, &c. quouſque ſe extendet, deinde in ſequenti à natiuitate vel ab vtili, & aliquot ſequentibus; tũ à pueritia, vel 3. cõfirmatio à iucundo, deinde ab adoleſcentia, vel 4. à poſſibili, vel facili, &c. virili ætate, vel à morte, ab iis quæ mẽtem ſunt conſecuta, poſtremo concluſio: prout illa in rhetoricis traduntur, idemque iudicium in demonſtratione factorum. Exempla ſint vita S. Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, vituperium Iudæ, Catilinæ, Coclitis vel ſimilia quæ & talia plura in Rhet. & Aphthonij Progym. Eraſmi de conſcribendis epiſt. aliiſque inueniuntur.

In orationibus diſponendis, ſi loci confirmationis longius ſe extẽdant, vt ab honeſto, & vtili, ſemper vellem maiorem talem partem à primo loco primi parietis incipere & relinquere 1.2. 3.4. aut plures vacuos in præcedẽti pariete,

riete, quia iſta ſeiunctione ſeu diuiſione memoria valde iuuatur; non quòd aliter fieri nõ poſſit, ſi cui libeat ſtatim ſubiungere, notabili aliquo ſigno addito, vel etiam ordinem aſcẽdendi ab inferiore loco, quem prima lectione demonſtrauimus ſequi, atque 4. interponere, cuique liberum relinquimus. Poſtremo experientia fidem faciet, ſi ex concione quamuis longa, vel oratione 20. partes minores principales tantum, per loca diſtribuamus, nulla prorſus addita imagine, ſolius diuiſionis & ordinis auxilio multo firmius repetituros, aliis, vel nobis ipſis hac methodo deſtitutis. Neque hæc adeo magna videri debent admiratione digna: ſi enim vt fieri conſtat, reperiantur qui id ipſum pœne ſine artis auxilio naturali memoria & exercitatione ac varia rerum experientia præſtant; alij calamo etiam orationem aut concionem ſequantur, vel omnino vel certe propemodum; quod in feminis etiam verum eſſe conſtat, quanto felicius arte adiuti id præſtabimus? & hæc de his paucis à nobis proponi ſolent, ab auditoribus tamen

latius

latius examinanda ſunt, & exercitatione confirmanda.

De argumentorum diſpoſitione: his hac hora adiicere ſolemus propter conformationem collocandi, non rei ipſius. Inter omnes ſpecies præcipua eſt ſyllogiſmus, hic tribus partibus conſtat, propoſitione, aſſumptione, & concluſione, interdum additur propoſit. aut aſſumptioni probatio, & vocant tunc proſyllogiſmum, propoſitio in medio primi parietis, & quæ de ea, inter diſputandum retinenda putabimus, in 4. aut 8. circunſtantibus locis affigemus: aſſumptio in medio 2. parietis, concluſio in medio 3. parietis, quòd ſi contingat fieri proſyllogiſmum, tunc illam enunciationem, vel in medio 4. parietis, ponemus vel in 3. ac concluſ. in 4. prout magis placebit. Si vero Enthymema fuerit, & deſit maior, vacabit iſte donec inter diſputandũ eliciatur; & tunc ſuis quæque locis mediis & circunſtantibus defigentur. Si vero Iuductio fuerit, prima pars in medio primi parietis, ſecunda in medio ſecundi, tertia in medio tertij cum ſigno hoc &c. aut ſimili,

in

in medio quadr.conclusio &c.nam omnes partes enumerare longum nec receptum est. Ex his facile colligitur quomodo Sorites,Dilemma alięque argumentationum formæ sint exprimendę.Alij volunt argumenta in locis partiũ corporis humani poni; ma:in capite min.in extensa dextra manu.conclusionem in sinistra; & si cõtingat fieri prosyllogismum,tunc ma.detrahendam ex capite in pectus; verum non tam commodus hic mihi , & obscurior videtur: ideoque priori , quo nihil accomodatius adhærendum existimo , salua sua cuique voluntate.

Iam itaque quoniam fundamenta tradita.Reg.voc.intellec.& nõ intellec. reg.sent.de person. coll.de Conc. Orat. &c. nullum obstaculũ est quin admota manu operi,praxin auditores aggrediãtur ad comparandam promptitudinem in facilioribus , vt deinde ad maiora procedant. Qua quidem exercitatione non egent illi,qui ex studiis & variarũ rerum vsu promptitudinem secum adferunt:illis enim non incommodum ac difficile erit , statim suæ professioni accommo

commodare;ſed quia omnes tales non ſunt,multique ſint adoleſcentes in humanioribus,ac philoſophicis hęrentes, in eorum gratiam hæc dicuntur;horam vnam aut duas ſi cui ſat temporis eſt,in 4.quadrantes,aut duas ſemi horas diuidemus , & cuique certũ horologij pulſum attribuemus, primo quadranti aut ſemihorę 4.5.6.matutina pro cuiuſque vacatione, quinque exẽpla memorabilia ediſcemus , interiecto interuallo, duarum,triũ,aut quatuor horarum,videlicet hora octaua,nona aut 10. quinque ſententię,rurſus hora 2.3.aut 4.pomeridiana decem vocabula,quorum 2. 4.6.8.ſint non intellecta.Iterũ hora'7.8. aut 9. tria tantum ad formam præſcriptam,formentur cubicula,quę ratio ita diſcreta eſt , vt ſi quis ſe quotidie per totam vitam ſic exerceat,nihil incommodi, aut defectus ſit metuéndum.

In applicatione vero grauioribus ſtudiis ac rebus , conſultum interualla tẽporis obſeruare , & ſemi hora tantùm aut tribus quadrantibus , horam nunquã excedere; præcipue in iis quæ maiorem ſpeculationem, aut mẽtis appli-

catio

cationem requirunt, vtendum arte vt gladio non abutendum. Si quis autem hanc exercitationē pręmittat ad promptitudinem, facilitatemque ad maiora consequenda, thesaurum sibi comparauerit, quo per totam vitam ornabitur, & ex quo ea promet, quæ non mediocrem præterea adferant vtilitatē. Quadraginta enim exempla memorabilia fere, totidemque sententias, mille aut circiter vocabula, omniaque ante ignota didicerit; quæ in quocunque colloquio, concione, confessione, in adhortatione ad virtutes, dehortatione à vitiis; vel in conuiuio, aliáve congregatione instructionis ergo, vel recreatione poterimus promere; locos etiam excipiendis rebus plurimos habebimus simul in promptu.

Obseruari autē ideo pulsum certę horæ volumus, quia ea quæ ita constituimus nobis facienda, aliis omnibus reiectis, diligētius obseruamus; sin aliter, sæpe fiet officij intermisso. Exempla siue res, sententiæ, voces, erunt succisiuis horis colligenda, vel in idoneis libris notanda, arithmeticis figuris: nam

si tum

ſi tum quærere ſeligere velimus, quadrãs fere prætereat. Eſt alia forma praxios, qua hora in duas prima partes diuiditur, & cãdela in 25, vocibus diſcendis impenditur, per tantundẽ temporis in ſentent. poſtea in rebus: verum prior modus magis probatur, eo quòd omnes partes ſimul exerceantur varietate & vtilitate non in iucunda. De ordine in principio ſatis prolixe videmur locuti, cum quo magnã habet affinitatem connexio, quam nonnulli catenulan memoriæ vocant, & hæc duplex eſt: naturalis, cum res à natura cohęret, vt terra, aqua, aër, ignis, at cum vocabulis imaginum actiones tales attribuntur, vt vna ſe cũ aliis sẽper exerceat vt igniferũ, veru, auis, capo, armus ouillus, puer cineres, mater, vt illa certius infigãtur, hac conſideratione fiet; igniferum vncũ habet, quo ſuſtinet veru, hoc tranſpoſitum aui caponi, & armo ouillo puero vertitur in cineres, ideo ancilla percutit illum baculo, & obiurgatur à matre quod hoc fiat. Actiones quidẽ ridiculæ videntur, ſed ſi in rebus ſeriis tẽpore ac loco adhibeãtur, nõ carent ſua vtilitate.

VI. PRÆLECTIO.

De locis latius.

QVAMVIS prima lectione ea omnia de locis licuiſſet dicere, quæ ad eorum tractationem ſpectant, tamen conſultius viſum, in hanc horam transferre: ne remora iniiceretur magis neceſſariis, præter 4. formas hactenus traditas, quarum 1. quinque habet in vno pariete 2. nouem 3. nouem quoque, ſed ordine primæ formæ 4. 25. ac in toto cubiculo vel 20. vel 36. vel 100. accedit quæ 100. habet in vno pariete faciuntque 400. in vno cubiculo 6. habet 10. in magna fronte domus & hæc forma ſi quis imaginibus vti non poteſt, proxima & laudatiſſima eſt poſt domos & cubicula. Valde ad rem facit, ex vno cubiculo facere tria & ad multa vtiliſſimum & factu facillimum; ſi nempe tap. 4. parietibus ita opponantur à pau. ad tab. vt tamen figura quadrata pateat tranſitus, & concipiatur ab vnoquoque 4. laterum lux per vnam feneſtram eſſe. Quod ſi præterea quatuor quadrang. cubi

cubicula addamus, erunt 7. ſi illa quadrang.duplicentur 11.ſi 8.triplicentur, ſimul erũt 27.vt ex figura patet.Si quis tractatum cum omnibus appendicibus velit diſponere 5. vt de Chriſto, de Eccleſia, de Patientia, &c. tit. cum L L. §§. &c. in illo medio & angularibus commode fieri poſſe videtur. Alij locos accipiunt in Ciuit.pictis,vt ſi Colon.ab vno latere cum Rheno præterfluente, & ab altera parte conſideremus portas, turires,tẽpla,aliáque inſignia,facile erit notare, quæ pro locis vſui ſint. Alij in firmamento duodecim ſigna circuli Zodiaci accipiunt, quæ cum repræſententur figuris Leonis,Tauri,Cancri,Virginis, Libræ, &c. in iis loca Aſtronomus præſertim,optime ſumpſerit:ſicuti conſtat Metrod.Scept.feciſſe, quem ob peritiam artis memoriæ vehementer laudat Cic. Quint. reprehendit,ſed hic fatetur nunquam contigiſſe,vt adeſſet repetẽtibus ex tempore per artem quam. libet multos verſus, vt ſatis inſinuet ſe artis fuiſſe ignarum : non mirum igitur ſi temere & ex ignorantia Metrod. reprehendat;vt & hodie fit,cum tamen vt

poſtea dicemus in Leone, Tauro, &c. haberi loci non incommode poſſint; imo cum vnaquæque ſtella viſibilis maior ſit tota terra. igitur ſeptem Planetæ & Stellæ fixæ, & aliæ, ſi fixas fingamus pro locis ſeruire queũt, & ſic pro omni ſcibili innumeros haberemus. Nonnulli in chartis Geogr. certo ordine oppida, pagos, maria, flumina, ſiluas, aliaque obſeruant, diuerſis coloribus diſtinguentes, conſultius autem in ſpecialibus prouinciis, quam generalioribus fieri, E.g. in Brabantiæ, Flandriæ, Franciæ, Normanniæ, Auſtriæ, Alſatiæ, Helуetiæ, &c. non Italię, Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, &c. aut Europę, Aſiæ, Africæ, Americæ. his talibus Geometræ forſan delectarentur. Quidam in libris magnis & explicatis, in quibus vnaquæque facies notam habet Arith: oppoſitam loco diſtinctiui; cumque 20. 30. 40. 50. aut 200. libri chartæ in vnum volumẽ poſſint compingi, maximum inueniemus, locorum numerum: qualibet facie parietis repræſentante. Hic autem aliquid ſe offerre videtur incõmodi, libro enim clauſo videntur aliquo modo imagines

ita

ita concludi, vt non appareant; quod ipſum de domibus clauſis videtur, ſed ſi quis & conſideret in his cubicula, parietes eſſe diſtantes, & aërem ac lumen intercedere, aliter paulo res ſe habet; ibi vero non item: licet hoc vſu & exercitatione ſublatum iri non dubitem. Alij in homine vt in vertice, fronte, occipite, oculis, genis, auribus, ore & per partes anteriores progrediendo. Nonnulli in animalibus terreſtribus, vt leone porco, &c. Aliqui in auibus, vt in grue, ciconia, alis. Quidam in magnis piſcibus maris, monſtris, &c. Multi naturales volunt montes, flumina; ſiluas, &c. Sunt qui in carbonibus certum numerum ſumunt, ad rad. trun. ram, &c. Aliqui in aëre, in ignis elem. terrę aquę, quos omnes, exceptis cubiculis in ædibus & frontibus earum negligo.

Si quis autem imaginariis delectatur, is maximam facilitatem experietur; ac de iis ſic habeto: In ſolitudine aut alio in loco idoneo, regio aut ciuitas concipienda, & in illa domus fortiter applicando mentem, & frequenter repetendo vt iam non imag. imaginarij

ſed reales videantur; ſi hoc aliquis non poteſt, conſultum eſt realibus vti, ac pro locis efformabimus domum primã quadratã,& in vnaquaque domo 5. cubicula tantũ, vel decem, 15.20.aut 25. ad libitum cuiuſque, eaque erunt diſtinguenda, primum numero feneſtranor, primum cubiculum habeat vnam feneſtram,ſecundum ab vtraque parte vnam,tertium duas ab vna parte, vnam ab altera. 4. duas vtrimque; 5. tres ab vna,& duas ab altera, & ſic vlterius in 2.3.4.latere,& iam primum latus primi cubiculi diſtinguitur à ſecundo 3.4. latere colore.E.g. ſi in primo latere ſit color ligneus,in ſecundo albus, in tertio niger, in quartò rubeus, ſic abſolutè hæc fuerit formata: ſi addantur diſtinctiones de quibus ſtatim loquemur.Abſoluta vna domo ad 2.ab hac ad 3. 4. 5. 6.progredimur; donec ſufficientes habeamus,Malim autem eas in caſtris diuerſis conſtituere,in ſingulorum manibus 10.aut 12.turres quadratas,& vnicuique domum oppoſitam,ita vt fronte ſe inuicem reſpiciant, & in media 25. tanquam propugnaculum: nec obſtat

ſiue

ſiue quis ita velit 24. in mœnibus, vel 50. aut 100. & totidem oppoſitas: ſuadeo tamen numerum 25. non excedere: & potius plura Caſtra formare. Erũt fortaſſis, qui vnam ciuitatem malint, & in mœnibus 100. aſerruti aſietalpa optime diſtinctis 3. aut 4. in longum, & totidem tranſuerſim euntibus, iiſque domibus repletis, & ſic vna tantum ciuitate opus eſſet pro omni ſcibili. at ob cauſam paulò ante dictam, caſtra longe præfero. Nec debet vnumquodque tantum cubiculum diſtingui, ſed etiam cubicula caſtra feneſtris coláribus. maiuſculis Arithmeticæ notis qui in infinitum progrediuntur, literis latinis, græcis, hæbrahicis vtemur iiſque capital. commun. vel colore mutatis, imaginibus ſanctorum, hominum illuſtrium, vet. & nou. teſta. Pontif. Imp. Reg. &c. inſigniis Reg. prouin. ciuit. pag. fam inſtrumentis artificũ omnium & vtenſiliũ domeſticorum, animalium terreſtrium, piſcium, herbarum, fructuum, partium corporis humani, & veſtium, &c. item diuerſo habitu ordinis hominum tam ſecularium quàm eccleſiaſticorum: quæ

ſi quis prudenter inſtituat pro infinitis ſufficerent. domibus neque hic vllus erit defectus. Suaſero auté in vnoquoque angulo cuiuſque cubiculi vnum ponere diſt. vtile, vt Chriſtus, S. Petrus, S. Linus, S. Clemens, & ſic vlterius; ita quaſi aliud agentes, loco illorum, quæ ad nihil ſeruiunt, niſi vt diſtinguant, eam vtilitatem conſequemur, vt nomina Pontif. Imper. Reg. voluc. animal. terreſt. & piſc. &c. addiſcamus quod valde non ſolum pulcrum, ſed vtile etiam. Laudabilis eſt modus, ſi quis ponat ſtatuas Pont. Imp. Reg. aut Sanct. &c à ſe inuicem iuſto ſpacio diſtantes, ordine quadrato. recto aut circulari. & ſingulæ tabulam inſtar læſnemi, à terra ad vmbiculum teneant, vel à latere, ac in earum qualibet, 5. 9. aut plures locos capiamus. Nonnulli in cœlo meditantur, attribuentes D.P.F.S.S.B.V.S.Mich. Gab. &c. Patriarch. Proph. Apoſt. &c. thronum quadr. inſtar cubiculi ac tum res ſe habet. vt de cubiculis dictum eſt; vel imſtar ſedis in qua dece. quidam in inferno, & ibi vnicuique peccato carcerem dant, aut ſedem vt gentil. homic.

fœnerat. de carcere & de ſede vt modo dictum de throno intelligẽdum. Atque hæc ſufficere arbitror de ſolis ſiue realibus ſiue imag. ex quibus ſinguli eos ſeligẽt, quos iudicabunt ſuo ingenio accommodatiores: vel ipſi, ex noſtris conſideratis facile meliorem rationẽ fortè inuenient. Summa noſtræ ſententiæ eſt tanquam optimæ, vt ſiue realibus ſiue imag. delectemur, capiamus caſtra, in iis domum &c. Et hæc omnia talia arbitror, vt ad actionem ſpectent Addit plura quæ Schẽckelius ad cognitionem pertinere inquit: ego ad confuſionem arbitror. Sed iudicium eſto penes lectorem. Cubiculis autem bene formatis, oportet vnicuique materiæ ſuam domum ſeu caſtrum attribuere: vt domum Grã. Reth. Dia. &c. domus Bibl. D. Tho. S. Aug. Greg. Amb. Hiero. &c. dom⁹ voc. Sent. ſacr. profan. conc. Dom. feſt. quadr. Aduent. lib. controuer. & vt vno verbo dicam, vnaquæque materia certis ſuis Caſtris & domibus erit tradenda, eo modo quo in ciuitate bene conſtituta fit. Si quis enim libros, pannum, vinum, carnes, &c. vellet emere, aut ven-

dere, diriget ſe ad illas domos in quibus hæc talia vel emuntur aut venduntur. ita etiam in hac arte faciẽdnm, vt ſi in conuiuio vel cõuerſatione voc.Sent. exemp.aliquid ex Ga.Rhet.&c. ex Bibl. ex hoc aut ex illo doctore audiamus, & illud nobis fuerit incognitum; in proximo loco vacante collocemus; ſi aliquid promere velimus, certe dirigemus mẽtem ad illud caſtrum, domum in qua id quod poſcimus, eſſe ſcimus, & hoc vnũ eſt ex præcipuis in arte quo neglecto, aliquid quidem præſtare poterimus in voc.ſent. hiſt: memoriæ imprimendis aut depromendis. at inſignis operibus accommodare vt Theol. Iuriſpr. Med. Art.lib. hiſt variis, niſi eo quem diximus modo obſeruato, omnino eſſet difficile. Eſt alius modus quo plurimos gloriantes me audire memini ſe intra vnius menſis ſpatium linguas didiciſſe peregrinas, quos hic aperire non abs re iudico. Conſtituebant in cubiculo hominem ſibi ante notum, quippe Italum, cultu habitúque eiuſdem gentis indutum, cum iis collo quium inſtituebãt, omnéſque interrogationes iux-

ta ac reſponſiones in pariete colloca- bant, & cùm poſtea ſermocinatio vera cum aliis conſeri contigiſſet, tanta cum felicitate ſucceſſiſſe inquiebant, vt om- nes in ſui admirationem raperent: quod in linguis quarum pronunciationes dif- ciliores ſunt, puta Gallica, non æquè commodè fieri poſſe facile quiſque per ſe aduertit. Quanquam non dubitem, quin illud per hunc modum effectum ſit, quod paucis ante diebus, à præcipuo quodam mercatore Lugdunenſi, viro ſanè fide digniſſimo, mihi relatum eſt. Hominem fuiſſe Francofurti non ita pridem, qui huius artis adiumento vi- ginti quatuor horarum ſpatio totam ferè linguam Polonicam, addidicerit; ita vt commodè neceſſaria intelligeret, & interrogaret: quod vtrum continuis, vel ſucciſiuis, aut diuerſis horis fecerit, non rogaui, vt vt ſit, res ſanè miriſſima, licet enim in re noua, nouo cum Scaligero vti verbo, nec tamen incredibilis, ſi te ad Mureti exemplum reflectas.

Sed quoniam neque memoria natu- ralis ſeipſam ſola, neque arte adiuta ſi- ne repetione certo quodam tempore

adhibenda, depoſitũ fideliter retinebit, vt cum opus ſit reddat: ideò neceſſaria eſt omnium per artem in theſ. memoriæ repoſitorum repetitioné accedere: quæ ſic inſtitui poteſt: Faciamus aliquem edidiciſſe huius artis auxilio, tota Bib. Doc. Eccl. præcipuos, Philoſophiam, Art. liberales, &c. horam diei Dom. impendat repetioni. Gen. non ex lib. ſed ex memoria obiter percurrens, an omnia debito modo ſe habeant? an nihil exciderit eorum, quæ ad artem, qua vſus eſt ſpectet? ſi ſic confirmata fuerit iſta repetitio. vt diutius commiſſum ſeruet; ſin ſecus, defectui ſuccurrat ne proxima. repetitione in eundé incidat erroré. Feria 2. Exod. 3. Leu. 4. Num. 5. Deut. 6. Ioſ. Iud. li. 1. & Ruth. Sab. 4. lib. Reg. 2. Dom. Paralip. Eſd. Tob. Iudith. Eſth. & Iob. Feria 2. Pſal. 3. Prou. Eccl. Cant. lib. Sap. &c. ita 14. aut 20. diebus tota fuerint Bibl. repetita, deinde Doctores, & quidquid arti fuerit applicatum, Poſt menſes 3. 4. aut 6. ab initio iteranda eſt ordine quodam à principio ad finem redeundo. Cum autem ſit mentalis mira exerceri poteſt celeritate 2. 3. aut 4.

horis tota Bibl. percurri queãt: Quemadmodum autem de vtriusque test. lib. dictum est, sic de Iurisp. Med. aliisque studiis est accipiendum. Septem artes liberales huic arti applicatæ, totidem diebus, sine fastidio aut difficultate, repeti queant. Sed vt certiore id fiat modo ac ordine singula in suis palatiis & domibus reponantur. hac repetitione obseruata bis terve, forsan nõ opus erit illam continuare diutius, vel saltẽ 2. 3. aut 4. anno opus erit iterare: huc accedit quædam sua natura talia esse, vt nunquam possint excidere: vt hist. Dan. Iud. Ionæ. Nec est quod quis existimet, difficilem aut impossibilem esse repetitionem iustæ partis tam breui tempore. Nam si oculis exter. vna hora peruolare & repetere possumus tota Bibl. imaginibus expressa materialibus, tam cito enim atque folia vertimus, vno intuitu videmus quid in iis agatur, si videl. omnia ante nobis cognita sint, vt debent ea quæ per artem locis affiximus, quanto magis mentis oculis, qui multo citius operantur. Verum id notandum, magna volumina in

na in compendium eſſe redigenda, ac tantum principalia & quæ neceſſario memoria tenenda ſunt arti applicanda. Inſuper quæ apud diuerſos Doctores eadem inueniuntur, ex vno tantum collocãda qui ex omnibus id optime tractarit;annotatis in margine aliis, apud quos eadem inueniuntur; alioqui res longi eſſet negotij, niſi ſupradicta prudenter ac diligenter adhibeantur.

Locos autem impletos, ſi iiſdem vti volumus ad alia diſponenda,euacuabimus octo modis,quorum primus eſt, vt interuallo temporis ſinamus imagines euaneſcere,ſecundus vt ſicuti conſideratione,& forti mentis applicatione,& repetitione aliquid imprimitur, contraria via aboleamus; videlicet: auocatione mentis & intermiſſa repetitione occurrentes ſponte repellamus, tertius ex duobus præcedentibus coniunctus,eſt efficacior ſingulis, licet ſecundus ſatis vehemens, fit tamen ferè, vt duo illi coniungantur.quartus expedititiſſimus, & vtiliſſimus, ac efficaciſſimus,vt nempe tapeta vel pannum parietibus opponamus, & ita imagines

tectæ.

tactæ nihil impedient collocationem tapetis. hic modus illud pręterea habet commodi, quod imagines in parietibus positæ, quamuis tectę, tamen subsistant vt deletis aut non deletis esse liceat. quintus, vt transeuntes mente cubicula & loca concipiamus sine imaginibus & actionibus, sicuti fuerunt antequam quidquam in illis positum: atque ita sępius mente pertranseamus: aut si imagines mortuas vel immobiles concipiamus: huic modo periculum subest, ne aliis imaginibus positis, in repetẽdo dubitatio oriatur. Sextus apertis ianuis & fenestris omnibus, exorta vehementissima vẽtorum procella omnes quasi chartaceæ leuiter affixæ, remotæ fingantur. Septimus, ancilla omnia cubicula domos & castra scopis purgauerit, atque inuisibiles sibi imagines deposuerit, aut propter preciositatem è loco mouerit ne puluere macularẽtur. octauus, fingimus furore percitum hominem, comitatum armata corona, castra domos, cubicula occupasse, alias imagines occidisse, multas percussisse, timore alias per ianuas fugisse, alias per

fenestras

ſe præcipitaſſe, ac intrantes, nullas inuenire. Sed obſeruandum, ea quæ ſemper cupimus memoria tenere, affigenda talibus locis ex quibus nunquam amoueantur, ſed repetitione firmanda: pro iis vero rebus quæ non niſi per diẽ vnum 2. 3. retinendæ ſunt, meditanda cubicula in quibus hęc talia diſponantur: & tum fuerit hæc collocandi & delendi forma Meditabimur 5. domus modo ſupra dicto, ac primo die in prima domo ponemus retinenda breui tempore, 2. die in 2. cubiculo. in 3. & ſic progrediendum vſque ad 200. Si exprimitur illo temporis interuallo nõ ſatis abolitas, eodem modo ad 2. domũ ibimus, & erunt 40. ſi nec tunc ad 3. & ſi opus in 4. & 5. & ſic vel 20, 60, 80. aut 100. quorum aliqua forma ſufficere debet ad euacuationem: ſin minus, tum neque longius. Spatium ſuffecerit, ſed alius ſeruiet quartus modus: quamquam autem 3. modi poſteriores aliquid iocoſi habere videantur, ſunt tamẽ à magnis in hac arte viris traditi, quorum auctoritate nixus, & ego proponere non erubeſco: ac pro diuerſita-

te in

te ingeniorum faciendum videbatur: nec tamen ideo inutiles, quia ridiculi aliquo modo apparent. Si quis autem 4.aut 5.res diuerſas vel cauſas vnò die vellet diſponere, is 10. 15. 20. aut 25. domos modo ſupradicto deberet formare,&c.prout viua voce latius eſt declaratum.

PRAELECTIO SEPTIMA.

CVm collocandi ſunt libri alicuius Profeſſionis, neceſſe eſt habere imagines eorum paratas; quiſque ergo poterit formare eas circa quas verſatur.Studioſus S.ſcripturæ,Bibl. Theol. Doctorum & Scholaſticorum, Iuriſta legum; Canoniſta canonum, Medicus Medicinæ;Phil. Philoſophiæ. Log. Logicæ,ac ſic alij in ſua quiſque profeſſione:pro cuius faciliore formatione, notãdæ ſunt hæ regulæ 1.Scribẽdi omnes libri circa quos formator cupit verſari 2.imago facti præcipui libri,tituli,agẽtis,aut primę dictionis,vel alicuius cap. modo ſit repræſentatiua nominis libri

3.illa

3. illa imago ponẽda in libro, aut ĩn loco collocanda erit persona repræsentãs librum 4. potest vti formator, auctore libri, vt citando D. Pau. constituetur cum libro in manu, & vt sciatur qualis sit, ponenda erit huius figura vt si erit Epist. ad Cor. in dorso Epist. quam manu explicatam tenet, collocet figuram cordis, si voluerit ponere auctoritatem Euang. constituat Euangelistam Matthæum cum Angelo; Marcum cum Leone; Lucam cum boue; Ioannem cum aquila; & si idem auctor plures scripsit libros eiusdem subiecti, signis distinguendi sunt E. g. pro Euang. S. Ioan. ponatur in suggesto prædicans: pro Epist. ad mensam sedens, ac scribẽs; pro Apocalyp. oculis in cælum defixis, tanquã res nouas & inusitatas videns. S. Lucas scripsit Euang. pro quo eum ponet cum Christo: pro act. Apost. cum Apost. Moses scripsit Genesim pro qua ponetur eius imago cũ Adamo & Eua, vel Dei creantis cælum & terram &c. pro Exod. cum Pharaone, vel filijs Israël eo duce transeuntes per mare rubrum, Pharaonem cum suis in eo submergi

pro

pro Leuit. Moſes cum leuita vel ſacerdote, Pro num.lib. Moſes cum exercitu vel 10. notis arithemeticis in tabella, Pro Deut.cum tabulis quas populo explicat.Pro lib.Ioſue ipſius imago. Iudit per Othonielem.Delboram; Abimelechum, Ruth per ipſius imaginem lib.1. Reg. Per Saulem 2.per Dauidem 3.per Salomonem 4. per Ioram, Iehu,Eliſæũ exprimam.lib.Eſd.per illius imaginem diuerſo vero loco.pro 1.2.3.4. Thobiæ ſenioris loquentis cum Angelo comite filij. Iuditha cum Holoferne; Eſthera cum Rege Aſſuero; Tobias ſuâ.Liber Pſalmorum Dauidis cythara modulantis; Prouerbia per Salomonis habitum philoſophi togati; Eccleſiaſtes per aliquem parochũ in ſuggeſto;lib.Sapientiæ per Salomonis tenentis anguem ſiniſtra, librum dextera; Eccleſiaſt. per imaginem Ieſu Syrach.Eſayas cum ſerra; Ieremias in lacu; Daniel inter leones;Ionas in ore balenæ;Ezechias inter rotas & animalia alata;Machabæorum ſuis imaginibus in ſartagine,&c.diuerſis modis exprimantur. S. Gregorius habitu Pontificio, columba inſidente humero;

humero ; Auguſtinus cor manu ſiniſtra rubrum tenet, iuxta illum ciuitas in cuius turri ſtatua Dei, & vna manu librum, in cuius fronte nota numeri per digitos, aut alia ſigna expreſſa : altera manu ſignum, num.cap. idemque iudicium eſto de aliis : quod diligens cultor huius artis facile aſſequetur.

Per citationem intelligitur ea relatio quæ fit de libro, num. lib. cap. tit. aut ſimilibus, quæ variatur pro diuerſitate profeſſionum, Theol. citatione vtitur diſt. part. art. mem. quæſt. reſp. Iuriſp. quæſt. can. tit. leg. gloſ. parag. conſ. dig. cog. Med. Sen. tract. cap. ſect. aphor. &c. Philoſophus tex. comment. Omnis autem citatio reducitur, ad tria capita: primo ad lib. 2. nom. lib. 3. ad adiunctum lib, & nom. lib. Doct. lib. vt modo dictum eſt, cui illud adiungendum, nomina. & tit. lib. etiam poſſe figurari ipſis lib. quorum ſumus poſſeſſores, & quibus vtimur quotidie: vt ſi quis velit exprimere Ariſt. in Metaph. ponat in manu Ariſt. lib. ſuum quem nouit. in quo Metaph. eius habetur. I. Lipſius lib. Polit. cōſtituatur imago Lipſij, & det ſuum

lib.

lib. in quo ſcit eſſe Polit. ſi plures lib. coniuncti ſint, tum frons lib. oſtendatur, ſi priorem placet deſignare, ſi 2.occiput, ſi tertium, priora cornua &c. vſque ad ſex. plures vix ſimul ligari conſueuerunt. idem iudicium de aliis eſto. poſſunt etiam diſtingui coloribus, vt vnus ſit albus, alius niger, 3.rubeus, 4. viridis &c.E.g.Euan.S.Ioan.rubro epiſt. viridi, apoc. nigro, atque ita in muſæis lib. vnius aſſeris diuerſis ſinguli coloribus.& item 2.aſs.atque ſequentium, ac tum facile conſtabit quis ſit lib.albi coloris 1.2.3.4.&c.Item lib.nigri 1.2.3.4. &c.Item rubri 1.2.3. 4.&c.aſſ.quod admodum conducere ad diſt.exactiſſimam videtur, & facile factu, ſi charta lib. leuigata in cornibus ſit. & priora oſtendant Adi.lib.& nomini lib.eſt cap.num. & ſimilia & hoc interdum præcedit nom. lib. interdum ſequitur; præcedit quando auctor multos ſcripſit lib. eiuſdem ſubiecti; vt ſi dicatur Aug.lib.2. de Ciuit. Dei, dandus lib. ſequente num. quem præcedit nomen operis & lib.ſequitur immediate, cum in ſpecie ſit citatio diſtinct.text.& ſimilium: vt ſi dicatur

tur Aug.lib.2.de Ciu. Dei,cap.4.illa dictio cap.eſt Adi:immediat.numerus vero 4.& mediat.fit autem mediat.per numerum vt in ſuprad. exemplo aut per dict.vt Iuriſp.qui adducunt primam dictionem leg. Panorm. cap. Tua eos : & eodem progreſſa aut num.aut dict.multæ fiunt citationes mediatæ. In citationibus obſeruandum, vt fiant ordinate. numerus lib. ponatur in vna parte lib. & cap.in altera ne confuſio oriatur.E.g. Aug.lib. 3. de Ciu. Dei cap. 8. datur in manu dextra liber, & eiuſdem tres digiti erecti oſtendunt tria, & altera manu tenet calicem iuxta caput, & ita habetur à capite cap. & à calice orto. Poſſunt etiam nu : numero : enim formari ipſis digitis perſonæ, & ſi excedit manum ponere licebit imagines in partibus corporis perſonæ.

Citatio dict.cap. tit. aut leg. &c. fiat regulis nu. dict. figuratarum : vt de pupillis,viduis,vſura &c.vt exemplis viua voce declaratum eſt.Adi.cap. text.comment. Gloſſ. leg. paragr. & ſimilia poſſunt formari trifariam 1.per imagines ſecundum methodum imaginum. 2.depingendo

pingendo aut ſculpendo in lib. maiuſ-
culis litteris iſtas citationes aut ex figu-
ris, inſt. Alphab. 3. more notariorum à
nomine quod incipit cum prima litera
citationis vtendo eadem perſona, vnde
pro cap. tangat caput, pro leg. labium,
pro gloſ. genas &c. ſed caueat formator
vti eadem parte pro duabus citationi-
bus, cum vſui veniet vtraque citatio,
quoniam confuſionem alioqui pareret;
niſi diſtingueretur: vt videlicet labium
corallinum indicet leg. liuidum, vel ni-
grum lect. caput flauum ſignificet capit.
nigrum comment. album conſtit & ſic
de ceteris. hæc ratio mihi non adeo pla-
cet, quin malim aliis figuris vti in
omni profeſſione: formatis appoſite pro
qualibet citatione ſicuti ex figuris vide-
re licet ad oculum oſtenſis: ad quarum
imitationem quilibet ad placitum ſimi-
lia facile excogitabit. In hiſce pluri-
mum adiumenti habere poteris ex Ca-
talogis D. Adami Bruxi, quorum titulos
duntaxat recenſebo : nam ſi omnia pro
dignitate & nonnullorum forſan deſi-
derio, perſequi vellem, cancellos mei
inſtituti tranſgrederer neceſſe eſſet.

Harum

Harum autem rerum ſunt catalogi. 1.Numeri.2.Literæ.3.Syllabæ. 4. Articuli.5.Pronominis.6.Vocabuli peregrini.7.Proprij.8.Subſtantiui.9. Abſtracti, vt Caſtitas per Ioſephum ſuſpicientem inſinuatur. Patientia per Iobum. Pulchritudo per Heſter, Sapientia per Salomonem &c. 10. Adiectiui, vt pro furace,coruus, pro gemente turtur, pro indocili aſinus, pro manſueto agnus collocatur,&c.11.Verbi. 12. Aduerbij. 13.Præpoſitionis,14.Coniunctionis.15. Interiectionis.16.Hiſtoriæ. 17. Fabulæ. 18.Concionis. 19. Orationis. 20. Cantionis.21.Verſus.22.Rythmi.23.Syllogiſmi.24.Enthymematis.25. Temporis longi.26.Temporis breuis.27. Temporis breuiſſimi.Sed in his, inquam, conſule Adamum Bruxium,qui hic longius exſpatiatus eſt.

ADmiranda illa dictatio qua nonnulli leguntur decem aut pluribus ſimul ſcribis diuerſas dictaſſe materias, aliquando dono quodam ſupernaturali fit,de qua hic non agimus:& ea quoque fieri poteſt per artem, vt non

ſolum 10.ſed 20.30.50.80. 100. dictemus: quidquid autem volumus dictare aliis, idipſum nobis memoria tenẽdum, & diſponen dum per cubicula, ſicuti in voc.Sent.& rebus exemplis ſatis oſtenſum eſt, vt recto retrogrado & intercalari ordine prõpte repetamus, atque ita in 5. cubiculis 100. habebimus vocabula, quinque ſcribis vnicuique cubiculum aſſignabi mus, & ex eo dictabimus, ſiue voc.ſiue ſent. ſiue etiam res. ſi 10.ſcribis ſimul, ex his 100.voc.vnicuique duo parietes attribuendi.20.ſcribis dictaturus ex his ipſis 100. vnicuique vnum aſſignet parietem, ſi vnicuique 20.voc.vel ſent.aut res, tum oportet 20. habere cubicula impleta, ſi centum & vnicuique voc.ſent.aut 10,100. cubicula.debent eſſe impleta:nam extra theoriam 20. loca. in vno conſtituimus cubiculo & quidem in vocabulis valde facile eſt,& ſine errore, aut hæſitatione perfectè fieri poteſt, ſi modo, quod præſupponitur, exactiſſime ipſi memoria teneamus:in ſent.& rebus vna ſe offert difficultas, meminiſſe in dictando, quod vltimum cuique vocabulum ſit dicta-

tum, in quo tantum, eaque magna eſt difficultas. In epiſtolarum dictatione ita quoque procedendum eſt, vt vnaquæque diuiſa in certas partes diſtribuatur per 20. loca epiſt. 2. in 2. cubiculum 3. in 3. 4. in 4. &c. ac tum ſingulis ſcribis ſingulas epiſt. ex imaginibus cuiuſque cubiculi dictabimus, & iudico facilius epiſt. de verbo ad verbum poſſe dictari, quam ſi verba accommodentur ex tempore, quod maiorem tamen habet vtilitatem & vſum frequentiorem: exercitatio promptitudinem ſufficientem ſuppeditabit. Vt autem in genere exemplo declaremus, accipiãtur 10. breues epiſt. diuidantur in 10. particulas, quarum vnaquæque 1. 2. 3. aut 4. lineas cõtineat, ac tunc partes debite in ſuis locis collocentur, accedat repetitio, deinde dictatio: ſi vero materia Epiſt. animo concepta, diuidatur in aliquot partes, & modo dicto, per loca diſponatur, attribuenda deinde verba ſunt ex tempore, remota vero de qua paulo ante dictum, tolletur diligenti diſtinctionum com. hypoc: col. & period. obſeruatione: vel ſi per certum numerum vocabula dictemus

ctemus; ſic tamẽ id fiat, ne vllus videat, ac primo ſingulis ſex 2. totidem, &c. ſi tum contingat hæſitare, numerentur, vocabula: ſi ter dilatum iam à 19. voce pergendum: ſi 4. vocabulum 25. &c. ſed hic modus ſeipſum prodit, & abſurdi quid habere videtur; ideo ad tertium quo nihil elegantius aut certius cogitari aut fingi poſſe videtur, confugiendum: videl. 1. dict. figuram primi numeri arithmetici ſubiungimus ſingulis ſcribis 2.2. 3.3. 4. 4. deinde 5.6. &c. ac tum ex iſtis imaginibus certiſſimé vltimum vocabulum & ſequens vnde pergendum, videbimus: non minus, quam ipſas imagines quibus voc. Sent. vel res oculis mentis obiiciuntur: ſed ſint figuræ latæ inſigni colore vt fortius moueant, partes epiſt. aut hiſt. non opus eſt valde curioſe multis imaginibus exprimere, ſed vna vel paucis admodum; ac iis adiuti, ſi antea nos exercuerimus, dextre poterimus operari. Qui vero vellet excipere varias epiſt. paucis verbis indicatas, vnumquemque locum cuiuſque quinque diuidemus in 5. atque in ea mate-

riam collocabimus, vſque ad 20. in vno cubiculo, ſi opus eſt, aut ad 6.8.10. prout occaſio ſe offert, reuerſi in muſæum, à prima incipiemus ex 1. loco donec omnes deſcriptæ ſint, quod tanto expeditius fit, quia ſecretarij, vel qui ab epiſtolis ſunt, exordiendi & finiendi formulas tenent, ac titulos cuique pro ſtatu & dignitate attribuendos.

Si quis liber ab aliis occupationibus, 100. breues ep. ediſceret, & arti applicaret modo dicto, non eſt dubium quin feliciter magno cum ſtupore videntium ſuccederet, quod à cõdito orbe factum legitur de nemine, & licet ad cognitionem potius talis dict. referatur; quam ad actionem, non tamen caret vtilitate, vt viua voce oſtendimus. Contenti igitur 4. 5. 6. 7. 8. poſſe dictare, non tanto labore opus eſt in retinendis vlt. vocabulis aut materia: quia in tam paucis facile erit optatum ſcopum conſequi: neque vſu venire ſolet, vt pluribus, quam 4. 5. 6. aut ad ſummum 7. aut 8. ſimul dictemus, imo hæc pars ab iis qui non indigent, omnino poteſt prætermitti. In

dict.

dict. quamuis peritus dictator, ſcriba item, ſciant vbi reſpirandum, & notæ diſtin. adhiberi debeant, ideoque non ſit opus indicare, tamen ne hic quiſquam à nobis quid deſideret, ſatisfaciamus. Simpliciſſima forma eſt & cõmodiſſima, vt comma ſemilunio, vel globo ſemi aureo; hypocolon pleni lunio aut toto globo notetur &c.

Scribentibus quoque de verbo ad verbum ex viua voce oratorum, aut concion. eodem modo 300. 400. aut 500. plures aut pauciores formandæ ſunt dictiones, iiſque ſigna danda, & charact. voluntarij qui vbi fuerint familiares ſcriptori, celerius excipiet, quam dictator queat eloqui. Sed volentibus ſe diligenter in hoc exercere, obſeruandæ ſunt regulæ ſequentes. 1. ſcribendæ in libello dictiones vſitatiores alicuius facult. & exercitij 2. forma & char. ſigna diſtincta pro vnaquaque dict. longiore præſertim, danda ſunt. 3. char. ſint breues ac faciles, & qui paucis ſcribantur figuris ne plus temporis in iis formandis, quam in ipſis dictionibus præterlabatur. 4. dictionibus bre.

uibus & paruis dentur char. minores, magnis maiores 5. char. poterunt esse literæ alph. Lat. Græc. Hebr. figuræ Arith.communes vel Lat. lineæ Geom. & alia signa volũtaria pro arbitrio formatoris.6.licet formare char. ex primis dictionum literis,in quo vitanda est similitudo. 7. abbreuiationes familiares Græc. Lat. Log. Phil. &c. 8. praxis & successus huius videtur difficilior in particulari propter laborem qui requitur ad reddendos char.familiares; tamẽ quia est professio singularis,cui quidam se totos dedunt,omnia diligenti exercitatione redduntur facilia. Initium autem fiat in scripturis lat. aut vulgaribus,scribanturque char.non promiscue omnibus, sed vsitatioribus & sæpius occurrentibus.

VIII. PRÆLECTIO.

De Grammatica, Rhetorica, artibus liberalibus, Theologia, Iurisp. Medicina, &c.

IN primis quod ad Gr. accipiẽdus auctor,qui opt. methodo scripserit,hoc est,qui nihil superflui habeat,& cui nihil

hil deſit, quique veritatẽ maxime ſecutus, & ordinẽ qualis eſt L. Schenckelij Rh.Corn.Val.Dia.Aug. Hun. Gr. diuidatur in tres partes R V.Sy.Pr. in RV. traduntur octo partes: inter quas No. & Ve. primas obtinent. in 1. igitur latere primo cubiculo 1. 2. 3. 4. 5. 6.diſponemus ordine, quæ in libro habentur, quid? quotuplex? ge. caſ.decl.&c. quæ à ſingulis excipiuntur in cubiculo duplicato,& ſi opus triplicato, & conſtituemus ex oppoſito reg.donec omnia ſint abſoluta in 2. Pr. quod vno facile cubiculo excipitur. Ve. in 8. 9. 10. 11. 12.eodem modo quo de No.dictum eſt. def.diu:quæ 1. 2. 3.4. coni.& quomodo faciant præ & ſup. quæ ab vnaquaque excipiuntur, in oppoſito tapet. in reg. cubiculum in decimotertio Par. in 14. Adu.in 15. Coni & Int. in decimoſexto. Præp.in 2. latere def. diu. & quæ initio tradi ſolent in tribus parietibus in 4. pariete quinque reg.cõcord.in ſecundo cubiculo reg.no.in 3. gen.in 4. da. in 5. ac. in 6. ab. in ſeptimo de infinit. Part. Ger.&Sup.in octauo de Syn.figurata in tertia domo def.& diu. Proſ. circa quid

verſetur &c.in primo cubiculo in 2. de quant.ſyl. in genere omnium Poſ.diph. reg.exem.in tertio de quant. in ſpecie primæ præp. & comp. mediæ accen. & dimin.in quarto vltimæ, terminatione voc.longæ,in 5.breuis & ancipitis.in 6. conſonantis longæ. in 7. conſo. breuis exceptionibus ſuis quibuſque locis è regione poſitis. in 8. de ped.in nono & decimo de vſitatioribus carminum generibus. in 11.de virtutibus. in 12. de vitiis.Reſtat quartum latûs.in quo notæ in totam Gr.ad tempus omiſſæ reponantur niſi quis malit eas in cubiculis vacant:primi lateris Rud.2.Syn.3.Proſ. ſubiungere, ſi videlicet quodque latus 25.conſtet cubiculis.

RHE. in quatuor partes maiores etiam diſtribuetur, & quælibet maiorum in vno latere collocabitur ordine progrediendo, ſicut ex ſingulis paginis videre ad oculum licebit : maioribus partibus in minores diuiſis pro rei exigentia; & tunc tantum vnicuique cubiculo applicatur, quantum capere poteſt, vel quantum conſultum videtur: omittatur autem ſi quid ſit,quod omit-

ti poſ

ti poſſit,vt aliquando vnius tropi plura dantur exempla,vbi vnum aut alterum ſufficiunt; vel interdum paulo latius aliquid declaratur,vt rectius intelligatur,eoque iam ſatis perſpecto,non opus eſt multis verbis. Iudico autem RHE. Cor.Val.per inter. & reſpon. digeſtam, commodiſſimam eſſe huic arti propter breuitatem , perſpicuitatem & ordinem , ſtylique elegantiam : vt pote quæ ab aliquo in latina ling.vtcumque verſato ferè intelligatur excepto genere iudiciali,quod iuriſprudentiam aliquo modo tangit.Dia. vero in ſex ferè libellos diuiditur. duo maiores ſubdiui dantur,vt ſint octo magnæ partes in latere. igitur Dia: primo cubiculo diſponatur definitio , diu. & alia præmitti ſolita 2. vniuerſale & indiuiduum 3. genus 4. ſpecies 5.differentia 6. proprium. 7.accidens 8.de prædicatione,in 9.prologomena in prædicamenta.in 10. antepręd. ſiue tantum.Aequiuoca in 11.Vnivoca & deno. in 12. Subſt. in 13. Quant. in 14Qual.in 15.Relata ad aliquid in 16. Actio & paſſio. in 17. vbi & quando. in 18. ſitus & habitus. in 19. ratio defi-

niendi & diuidendi, atque ita per reliquos libros progrediendo. Eodem fere modo reliquis 4. artibus liberalibus erit applicanda, præcipuè si quis eas per definitiones, diuisiones, aliaque attributa velit retinere, alioqui multo facilius in his quatuor quam in illis tribus succedit: eo quod figuris, ac lineamentis fere demonstrentur.

Sed ad Theol. transeamus. hæc pro obiecto habet Bibl. ante omnia igitur illa sunt exprimenda, ad quod valde iuuabimur edition. Bib. per imagines in folio, si varias edit. conferamus: ac ex iis qui latius hunc vel illum librũ vel partes, aut exactius expresserint, obseruemus: si quid desit suppleamus; si non satis bene, melius faciamus ex arte, quam alij alio fine & sæpius sine arte in lucẽ emiserunt: non sufficit tamen Bib. collocasse, sed explicationes adhibendæ: inquiremus itaq; optimos auctores: vel in tota, vel in partes plures, vel in vnum librũ, atque cognitis pręstãtissimis, sũmatim in oppositis tap. cubiculorũ duplicatis, vel si opus, triplicatis adiũgemus, si autem apud plures idem sæpe, vt fit, inue

inueniatur,ex vno eoque præcipuo ſumemus iuxta paucis litteris citat aliorum poſita: neque hæc Theologo ſufficiunt;ſed conciones dierum dominicalium feſt.Quadrag.Aduen.In Euang. & epiſt. reliquorum dierum arti applicabit. in vnoquoque cubiculo vnam conſtituens, & ſi poſtea quid addendum occurrat, in dupl.& trip. cubiculis vel in circunſtantibus, vt latius viua voce. Caſus autẽ conſcient.præcipuos in vno 2.3.aut 4. domibus facile exceperit ad hoc deputatis: poſtremo controuerſias quaſlibet ſuis diſponat domibus cubiculis,quemadmodum ſtudioſus Theol. vel iam in ea verſatior & exactior, facile ex his colliget. ſi præterea velit Doctores Eccleſ. D. Thom. vel alios quoſlibet, ſingulis in compẽdium redactis omnia diligenter conſiderans, modum applicandi ad artem ſemper aliquem inueniet: vt non pluribus pro Theol.opus eſſe videatur.

De iuris prudentia vero ſic habeto omnes tit.& reg. iuris quaſi per præludium ſuaſerim diſponere, vt eas quocunque ordine exacte memoria teneat,

vt quolibêt recitato num. dicere, aut contra poſſimus: deinde in domus ſuæ primo latere conſtituat librum primum inſt.in 2.2.in 3.3.in 4.4.in 2. domus primo latere lib.1.digeſt.in 2.2.in 3.3.in 4.4. & ſic vlterius progrediendum per omnes libros Digeſt.Cod.Nouel.&c.donec cuncti ſint abſoluti,ſemper in vna domo 4.lib.collocantes,quæ vt ſic capax,vniuſcuiuſque lateris. 10. 15.20.aut 25 ſint cubicula. ſi quis in ſpecie formam certam deſideret, en tibi duarum primam.

In medio parietis 1. domus ponatur 1.tit.in medio 2.parietis.1.lex in medio 3.1.§.in medio 4.2.§. & quæcunque de iis retinenda putabimus,in 4.aut 8.circumſtant. locis in medio 1. parietis 2. cubicula 3. §. donec omnes ſint poſiti, ac tum in medio ſequentis lex 2.1.ti.in 2.1.§.2. legis in 32. §. 2. legis in medio 43.§.2.legis & ſic progrediendum, deinde omnibus tit.legis & §§. 1. abſolutis in medio ſeq.parietis 2.tit.per ti.leges ac §§. donec omnes ſint collocati 2. Alij forſan mallent hanc viam ingredi, vt in 1. domo ponant tit. cum omni

omnibus regulis & §§. & quidquid de iis retinendum: in 2.domo 2. 3. in 3. &c. tunc autem tot domus opus esset quot sunt tit. in his quisque suo relinquitur arbitrio. Si obseruat: Misingeri, Geilii, aut aliorum opera velimus arti applicare in suis domibus & cubiculis ad hoc secundum demonstrationẽ præparatis, discrete affigemus; in quo sicuti in aliis omnibus, felicius procedent quibus res cordi curæque fuerit.

Aduocatus quia iurisconsultus esse debet, modo supradicto se geret in Iurisp. sed illi patronum causarum agenti, præterea necesse est omnium clientum causas, & aduersariorum memoria tenere, & quid in quaque factum sit. Ille igitur sicuti domus opponitur domui, & cubiculum cubiculo in plateis bene ordinatis, vel in cellis monachorũ, habeat cubicula: & in vno cubiculo efferat apte per imagines, veluti alias libris solent literis quidquid in causa clientis actum; quod in aduersarij, in opposito cubiculo in 2. 2. & sic ad 50. 100. 200. 300. 400. aut plures progrediatur, donec omnes expresserit, quoti-

die

die ſingulis addens, quod actum eſt; & vt ſuo loco dictum latius, occurrente poſtea quouis cliente interroganteque in quo ſtatu ſit ſua cauſa; ſtatim mentem ad illud cubiculum conuertet, eoque inuento leget oculis mentis celerrime, ac dicet quod res eſt: ab occurrente alio interrogatus, ſimiliter: atque ita ceteris quaſi in manuſcripto ſi inuideret, reſpondebit: ſi modo debite fecerit officium, ſumma omnium cum admiratione. Ad eundem plane modum faciendum eſt procuratoribus, aut ſi in aliquibus locis alia fuerit ratio procuratorum quam aduocatorum. tamen quomodo artem dirigant ad ſuam functionem, facile ex eorum applicatione videbunt.

Medicina verſatur circa corpus hum. vt illud ſanum conſeruet, vel ægrum reſtituat: ad hæc omnia concomitantia diriguntur velut ad ſcopum. de conſeruanda valetudine pauca ſunt præcepta, & obſeruatu volentibus facilia; in depellendis morbis maior difficultas: in primis autem noſcere oportet, quod ſit multis ſignis & circunſtantiis vrinæ

pulſus

pulſus, linguæ aliarum partium & indiciis &c. tum notum pellere, quod fit herbis, fructibus aliiſque rebus ſimplicibus, vel ex iis compoſitis potionibus pillulis &c. ſtudioſus huius facultatis (quem philoſophicis ſtudiis bene excultũ ſtatuo, præſertim phyſicis & aſtronomicis) omnia ſimplicia, & aphor. Hip. quaſi per præludium diſponet, deinde inſtitutiones arti applicabit, tum compendia Galeni, Hipocratis, vel aliorum principum Medicorum; in quibus ſi quid deſit, aut ad noſtra ſæcula aut regiones minus accommodatum, ex neotericorum pręſtãtiſſimis ſupplere licet, ac ſingula in ſuis domibus & locis ad hæc ſecundum artem ordinatis conſtituere: ſi quis malis primum omnes herbas (ſub quibus omnia ſimplicia complector) diſponere in vna 2. pluribus domibus earumque vires quaſi præludia medicinam dirigentia, valde conſultum id fuerit: præterea in prima domo aphoriſmos Hipocratis, qui ſunt velut certæ quædam regulæ aut potius axiomata, locare, & ſi ex Galeno vel aliis ſimiles ſint collectæ, aut ſeligi queant ſenten

ſententiæ, operæ precium id quoque fuerit, niſi malit omnibus ſimplicibus tanquam cubiculis diſtinctiuis vti, ſicuti etiam imaginibus morborum, ac in quatuor angulis cuiuſque vnam herbam, vel morbum conſtituere, vt videlicet quocunque ordine omnia habeat ſimplicia, & morbos, vt quorum vnunquodque iſtorum ſit, expedite referre poſſit. v. g. tremit aliquis toto corpore, & febri laborat, tumet venter, & eſt hydropicus, vix oſſibus hæret, & eſt phth. ſicus, flaua cute eſt, & ictero ſiue morbo regio laborat, & ſic de cæteris: morbo ex ſignis & circunſtantiis bene perſpecto, adhibenda ſunt remedia ſingulis pro qualitate morbi & perſonæ, quæ omnia ſecundum artem expreſſa, diuiſa, variis modis ad libitum cuiuſque locis committenda forſan non eſſet inconſultum medicum ſic morbos & media conſtituere, ſicuti declaratum eſt iuris ſtudioſo tit. leg. paragr. eſſe collocanda, vt ſcilicet in medio primi parietis ponat primum morbum & omnia ad illum facientia in 4. locis eiuſdem parietis & reliquis tribus parietibus & etiam

etiam 4. duplicatis, aut triplicatis, vel quoque in aliis 4.aut 8.angulis & cubiculorum de quibus ſupra, ſecundum morbum in ſecundo cubiculo 3. in 3. &c. ordine progrediendo: & vt paucis dicam, quæcunque medico ſcitu neceſſaria ſunt, compendioſe digerenda, diuidenda, exprimenda, & in diuerſis domibus pro diuerſitate materiarum, vel librorum, aut capitum, &c. diſponenda. Ex his medicum, aut medicinæ ſtudioſum perſpicere exiſtimo, quomodo hu c arti omnia ſint accommodanda, atque ex Theol. Iuriſp. applicatione ac Philoſophię, grauiorumque ſtudiorum methodo etiam aliqua colliget, quæ ſuæ profeſſioni appropriet tum ipſe quoque ex ſuo ingenio aliqua, ſi fuerit ei res cordi adiiciet, facile enim inuentis aliquid additur. & Plures plura vident: quæ non videt omnia ſolus.

Legati ad principes ſi proponantur 10.20.30.50.aut 100. articuli à principe aut eius nomine ab alio, eos omnes ordine, & ea quæ ad vnumquemque reſpondenda, inter audiendum occurrunt, debet retinere: vt igitur id poſſit auxilio

auxilio artis feliciter, & summa cũ admiratione, quod ſine arte nemo mortalium, ita fiet: ſi locos habeat paratos in triplicatis cubiculis, vt ſtatim primã in primo loco 1. parietis collocet, & quę in mẽtem veniunt reſpondenda in 1. loco oppoſito videlicet in tap. & tũ ab altera parte tap. alius vacat in vſum aliorum, ſi res ita ferat, eodemque modo 2. articulus in 2. loco & reſponſio item in oppoſito, & ſic vlterius progrediendum, donec omnes ſint excepti, cum reſponſionibus: ac deinde ex lectione art. & reſponſionum paucis imaginibus exceptorum, inſtituenda narratio ex tempore, exornanda verbis, & arte eloquendi: præſupponitur enim legatus in præceptis & praxi Rhetor. ac Dial. exercitatus, & variarum rerum experientia edoctus; quibus poſitis exercitio huius artis reliqua feliciter perficiet alia vero ſubſidia ex applicationibus artium lib. aut grauiorum diſcipl. præcedentibus, quædam etiam ex methodo ſtudiorum ſuæ profeſſioni vtilia, ſi fuerit perſpicax, facile colliget; reſtat vt priuatim ſe exercendo, vt decet promptitudinem,

vt

vt cum opus erit dextre vtatur, ſtudeat comparare.

Mercatores, notarij & alij, ex ſupradictis, ſi excitato alacrique ſint ingenio, inuenient modum ſuis negotiis, ſiue etiam hiſtoriis ſacris aut profanis, & concionibus accommodandi; quæ omnia ſigillatim recenſere longum & tædioſum eſſet.

IX. PRÆLECTIO.

Viginti octo regulæ ad artem probè exercendam comprimis neceſſariæ.

RELiquum nunc eſt, vt 28. regulas ſubiungamus, quæ iuuant ad artem laudabiliter exercendam, quarum aliquæ licet in ſupradictis ſatis clare tactæ ſint, & aliquæ tales ſint, vt quis per ſe illas obſeruet, ac nonnullæ forſitan ſint non magni momenti, non ingratum tamen ſpero, ſi adiungantur. 1. Perſonis attribuendæ ſunt actiones conuenientes ipſorum conditioni: non enim recte ac decore regi vel principi actio agricolæ tribuatur; vel contra; nec

nec concionatori fabri lignarij,& vice versa 2. Imagini motus attribuendus est,& si res est immobilis seu inanima, constituenda persona,quæ cum debita actione repræsentet. 3. nec sint otiosa, quia non satis excitant memoriam,vt si equus sit in loco pede terram pulset aut fodiat;si lupus,oues delaniet ac deuoret,hæ duæ regulæ satis in prima lectione à nobis habita sunt indicatæ,his verbis;attributa aliqua insigni actione. 4.Si res aliqua fuerit animata, sed parua,vt formica, musca, cicada, constituenda erit persona ipsam monstrans: vt autem videatur, fiet. 1. præfixione mentis.2.per res adiunctas huiusmodi insectis;vt si in patina melle oblita persona flabello ex plumis facto, det signum abigendi muscas, formicæ in cumulo frumenti occupentur.3. per res à certis personis fieri solitas: vt si quis ancillam in stragula lecti quærentem, & vngues interdum collidentem constituat,vt pulex exprimatur;sic pediculus per gestum fabulæ Æsopicæ vulgo notæ.equidem malim huiusmodi insecta imagine magna exprimere, veram

tamen

tamen figuram referente; vt videlicet formica, muſca, cicada, ſint inſtar paſſeris, columbæ, felis, canis, agni vel equi, imaginationi enim obediunt omnia. ſicuti enim turris, caſtrum, ciuitas, in exiguo loco, vt vnguis digiti pingitur; ſic etiam contra res minima ſi opus ſit, magna forma repræſentari poteſt. 5. imagines, proportionem quandam habeant ad locum, & non excedant, quod quomodo fieri debeat paulo ante dictum eſt figuratione, vel memoriæ imaginatione omnia fiunt proportionata: atque ita pro domo turris, pro terra nauis poteſt poni. 6. perſonæ in locis collocandæ ſint grandes, viuæ, & efficaces quoad fieri poteſt; quoniam plus mouent. hæc regula etiam ſatis inſinuata fuit iiſdem verbis, quibus ſecundam & tertiam diximus. 7. figuræ & imagines ne ſint ſolitæ in eo loco eſſe, in quo collocandæ erunt; non enim ſatis efficaciter excitarent memoriam quia mente tranſiens locum crederet rem non eſſe imaginem repoſitam, ſed partem in eo eſſe ſolitam 2. & vt huic occurratur difficultati, obſeruanda eſt regula varia-

tionis,

tionis, attribuendumque aliquid inſo-
liti,E.g.ſi in loco conſueuit ſedes eſſe,
& tamen in eodem pro imagine po-
nenda,ſubuerſa vel inuerſa conſtitua-
tur;vel pendeat;quo ſigno abunde con-
ſtabit,non rem eſſe ordinariam,ſed for-
matam per imaginem 8. ex improuiſo
collocantibus ſufficit vnam imaginem
committere loco ſed per otium & len-
te ſi fiat, non eſt inconſultum plures
vno in loco conſtituere bene diſtinctas,
& commode oculis mentis ſe offeren-
tes. 9.imagines habeant actiones defor-
mes, fœdas, ridiculas : hoc ipſo enim
magis mouebunt: quod cum fieri po-
teſt,ſine indecora repræſentatione,val-
de vtile eſt operatori: 10. Docte Cic.
monet de vigore ſeu vita & inſigni a-
ctione,quia illa fortiter excitat memo-
riam,quales ſunt res admirabiles, no-
uæ,raræ,delectabiles,deformes,ridicu-
læ,horribiles, magnæ varietatis, pul-
chritudinis ſummæ, monſtroſ. &c. vt
homo ſciſſa facie,magno naſo,gibboſi-
tate monſtroſa. item res dignitate ex-
cellentes, Papa. Imp. Rex. item exce-
dentes in paupertate, vt vir laceris ve-
ſtibus

ſtibus & pene nudus:hæc & talia valde ſunt idonea ad vitam ſeu vigorem imaginum,ideoque operator oculos ad huiuſmodi debet habere intentos. 11. in collocatione imaginum repetitione quadam vtendum eſt,vt videlicet abſoluto vno pariete,repetamus eum,antequam ad 2.procedamus;deinde hoc abſoluto 3. ac 4. antequam vlterius progrediamur;& ſi bene repetimus, vltra tendimus, alioqui vbi errorem experiemur,ſubſiſtemus:ac diligentius conſiderantes, dabimus operam ne ſecundo vſu veniat. 12. ſi hoc die res aliqua pro imagine poſita eſt, eadem pro alia re non eſt ſequenti die collocanda, vt ſi hodie agnum poſui,vt agnus legatur, cras pro innocentia non expedit ponere:quoniam confuſionem parere:quoniam confuſionem parere queat, præſertim ſi prioris non ſimus obliti:aut ſi imago non fuerit variata per ſigna,vel bene firmata diſtinctione mentis & repetitione. 13. cum oratio vel periodus, memoriæ commendanda eſt de verbo ad verbum,primo bis terue legenda eſt tarde & diſtincte:vt vult Cic.quod non

exiguam adfert vtilitatem:ſed hoc non ſufficit,nam deinde in compend: redigenda, &c. vt latius dictum eſt tit. de Conc. & Ratio. exercendæ memoriæ, &c. 14. In collocatione vocabulorum proportio generis per ſexum exprimenda erit,vt diuitiæ per feminam diuitem potius quam per virum. ſic ponam virum actionem cum libro exercentem,vt hinc cõſtet de gen.neutrum autem per hominem laruatum effero, qui mihi neuter eſt,neſcio enim vir ne ſit an femina;& is operatur aliquid circa ſcamnum,portat,abiicit,vltra ſaltat, vel animal quod ducit, percutit, inſidet, &c. 15. in integris vero periodis, aut orationibus ſi inueniantur forte.8. vel 10. plures vel pauciores dictiones, quas quis facilé recitaret ſine alia collocatione, tum non opus eſt ſubire laborem imaginum ſed ſufficit notare præcipuam,quæ nobis alias in mentem reducat. quod accipiendum eſt de diction. aut orat. quas ſemel recitatas non cupimus diutius retinere: vtpote actionum forenſium, &c. dictum eſt, præcipuam, quidam enim ingenioſe

noue

nouerunt effingere vocem artificiosam, aut dictiones paucas, quibus memoria iuuatur, vt quamplurima repetat, vnaquæque enim litera dictionem, dictio sententiam, hæc exemplum memorabile aut totam historiam suggerit. E. g. Hinricus, habens Iesum Nazarenum Regem Iudæorum custodem vitæ suæ: putonsin. 1. Princeps sine literis quasi &c. V. vt in mare flumina, &c. T. tyrannorum versutia, &c. o, obedientia virtutum, &c. n, nulla Reipublicæ, &c. s, seruire Deo, &c. quod latius filiis artis examinandum relinquo, hæc sola regula si bene applicetur, efficit artẽ quandam neutiquam contemnendam. 16. imagines habeant proportionatam altitudinem, ne oculus debeat se nimis attollere, aut deprimere, vt videat. aliquid momenti habet hæc regula, si ad oculos exteriores referatur, verum si ad mentis, parum. tam cito enim mens Romam, Hierosolymam, vel per longius spacium se dirigit, atque ad locum proximum, nisi quis dicat sympathiam aliquam esse inter aciem oculorum & mentis: per se regula mala non est, &

valeat quantum poteſt. 17. non oportet nimium feſtinare, vt ſubito collocentur imagines, cum non opus eſt feſtinatione, nam paulo poſt occurrentibus melioribus magiſque idoneis, difficile erit priores ſtatim ita delere, vt aliæ ſine difficultate ſubſtituantur: & ægre meliores omittimus: voluendum igitur animo & reuoluendum, vtrumne conuenientiores occurſuræ ſint, deinde bene formatæ diſponantur 18. Ante omnia videndum vt imagines ſint rerum notiſſimarum, & abſtinendum à fictis & incognitis, vel minus cognitis, cum haberi poſſunt veræ & notæ, vel magis cognitæ 19. quemadmodum ſimilitudo locorum multum obeſt in operatione, ita & imaginũ, ideo danda opera quoad fieri poteſt, vt ſint diuerſæ, ne ex ſimilitudine error oboriatur, vt ſi dicendum tres franci, diſtinguantur cicatricibus, geſtibus, aut alia re attributa: quod infinitis modis fieri poſſe, alibi dictum eſt; vt ſi vnus ſit gibboſus, alter vnoculus, tertius ſine naſo. 20. habenda quoque ratio æquiuocorũ, & ſynonymorum, ne pro cane ſigno cæleſti, terreſtrem legas,
aut

aut pro petra ſaxum,&c. quæ electione mentis ſeu præfixione diſtingui poſſunt in collocãdo & repetẽdo,& quæ omnia perficit exercitatio. 21. Si plures imagines exprimendæ ſunt perſonæ vno in loco operator ſtudeat variare, vt magna vna atque altera ſit cũ pluribus paruis, ne tam multi occupentur loci vt pluriũ ſint capaces: & diuerſitate efficaciores. 22. Cum verba & conceptus, ſeu periodi capiuntur ex charta,& in loco collocantur, non applicanda eſt memoria chartæ,ſed huic ſolum,hoc eſt,ita erunt concipienda quaſi tãtum in pariete ſeu loco eſſent poſitæ;duplex enim eſſet labor,recordari vtriuſque,& pareret confuſionem: quia mens diſtracta vacillat & confunditur attẽtione ad diuerſa. 23. in collocandis & repetendis imaginibus cauendũ ne vtamur geſtibus alienis ab arte pronunciandi, ſed liberi ſimus ab omnibus indecoris huius regulæ defectu,inuenti ſunt quidam in recitando immobiles,oculis fixis in pariete inſtar ſtatuæ,quod non ſolum indecorum eſt, ſed præterea artem detegit: in qua præcipuũ eſt ipſam cælare, libertate actio-

num obſeruata, quaſi ſolius naturæ felicitate faceret: niſi igitur aliquis in ſe priuatim exercendo ad huiuſmodi caueat, publice aliquando imprudenti & inuito eueniet hoc vitium 24. Hac arte non eſt in omnibus paſſim vtendum, vt ſingula quæ quis legit, videt, audit, per artem memoriæ tradat, ac retineat; ſed potiſſimum ſtudiis difficilioribus applicanda, ac rebus magis neceſſaris: vt cauſis forenſib. diſp. reſpon. concion. poteſt tamen aliquis ſucceſſu temporis, multũ hac ipſa ſe in omnibus iuuare: ac tũ requiritur, vt materiã ſtudeat bene intelligere, & in breuem ſummam redigere, ac ſuis quæque locis conſtituere, vt dictum eſt; qua memoria comprehẽſa, vel potius lecta acie mentis, reliqua facile ſuccedunt 25. Requiritur in hac exercitatione vacatio mentis, ne virtus naturalis per occupationem exteriorem diſtrahatur. 26. Debet quiſque eſſe manſuetus, ne ira, impatiẽtia, vel alio turbetur affectu. 27. Sobrietas etiam huc ſpectat, ne per ebrietatem virtus naturalis ſuffocetur: nam ebrietate ita ſenſus interiores impediuntur, ne recte faciant

officium

officium. non tamen ipſa officit arti ſed naturæ, quæ omnia operatur, longe tamen melius arte directa: inſuper ſi quis quotidie ebrius eſſe conſueuiſſet, ſed crapulã edormiret, mane in arte ſe excercere poterit; & quæcũque ſobrius applicuit, etiamſi tum, cum neque mens neque corpus officium facit, hic etiam nihil poteſt, tamẽ ad ſe reuerſus, omnia videbit ſibi conſtare. 28. Poſtremo matutino tempore vacandum huic exercitio; quia mens poſt quietem, & ab aliis occupationibus libera, inque ſilentio vegetior & aptior multo eſt, ad ſuſcipiendas ideas ſeu ſpecies oblatas.

MODVS STVDENDI oppido vtilis.

Methodus ſtudẽdi artibus liberalibus ac grau. diſc. connexa theoriç artis memoriæ qua quis commilitones ea deſtitutos ſuperet, quamuis ingenio & induſtria prçſtantiores, licet à perſpicacibus Audit: facile animaduerti queat, tamen in aliorum gratiam eã hic nude proponemus: conſiſtit autem in his præ-

cipue 1.vt eius discip. auctores aliquot præ cæteris excellentes noscamus, ac vnum ex omnibus principem eligamus, in quo omnẽ ponamus operam, reliquos tamen legamus. distribuendi autẽ erunt authores alicuius facult. in tres ordines, ac præcipuam operam collocabimus in authore primi ordinis; habendi tamen legendi & consulendi, etiam 2. & 3. vt si quid vtile ac notatu dignum, quod non est in illo, aut non tam bene, inde in suũ locum transferatur. Id ipsum quoque non erit inconsultũ in 1. classis scriptoribus facere: nemo enim in omnibus æquè excellit, & vilis aliquis scriptor interdum partem aliquam melius tractat quàm excellens: qui cum plurima egregie, quædam tamen non tam excellenter, vt apud alios medij, aut infimi generis inueniuntur: qui multa vulgariter vnum aut duo eximiè tractauerunt: præterea quæ plures eadem habent, absolute & perspicue satis in aliquo omnium præstantissimo suis locis annotanda: vel ex omnibus in commentarium referenda, aut saltem in indicem 2. illorum deinde lib. in comp. redigemus, ac

ex pluribus vnum quaſi corpus formabimus: tranſportatis eò omnibus ſcitu neceſſariis 3. tum apte diuidantur in libros, capita, materias, idque per partes maiores & minores 4. vnaquæq; imago exprimenda, & per domos cubicula ſuis locis collocãda 5. repetitione quotidiana partis alicuius maioris certa hora inſtituenda; vt parta conſeruentur, & in dies iuſta fiat acceſſio: quod caput eſt in omni ſtudio 6. vulgo nota ſunt de præuidenda lect. diligenti mentis inter docendũ attẽtione & re tractãda 7. in diſp. paucæ ſed vtiles quæſt. proponendæ, eas ſi ignoremus memoriæ commendantes, aut libris, vt ex iis fructus ſequatur; neglecta illa puerili concertatione, qua tãtum quoquomodo ſe liberare, ne ad pulſum finiendæ diſp. victi ſint, in catalogũ referendi: nulla, fere alia vtilitate propoſita 8. In dubiis frequenter doctiores vel ipſi præceptores conſulendi 9. Omnia ſemper ſtudia fiant per interualla, vbi hora ſtudiis impenſa, reſpirandum tantiſper; optime enim ita ſtudia ſuccedunt. 10. tempore feriarum poſtquã animus honeſtis recreationibus relaxatus

fuerit, & corpus moderato refectum exercitio deambulationis, pilæ, ſaltus, &c.aptiora ſunt multo ad ſtudia, valetque tum acies mentis, vt culter poſt iuſtam acuitionem. Si igitur duabus aut tribus horis luſui honeſto tributis vna ſubtrahatur, ſtudio altera tribuenda, deinde per vnam aut duas ad recreationẽ redeatur, experiemur vna illa plus nos profeciſſe, quàm aliàs duabus: ac ingenium tum penetrare & quaſi in luce videre, ad quæ aliàs cæcutimus 11. Ad hãc methodum etiam maxime facit index vocabulorum, ſent. & rerum, locut. artif. Rhet. Dial. &c. quidquid in ſingulis auctoribus legitur, aliqua de cauſa notatu dignum, ad illum referre: nõ tamen omnia deſcribenda erunt, quod maximi eſſet negotij, ſed vno aut altero tantum verbo, vel ſaltem quam pauciſſimis fieri poterit annotandus locus in quo hæc aut illa inueniantur, ad eum ferme modum (quod quidem attinet ad materias) quo Ind. Biblicus collectus eſt. ſi enim id prudẽter fiat (magnum ſtudiorum compendium indico) vnuſquiſque liber ſemel tantum erit, magno cum fructu legendus

gendus, & tamen quæcūq; notatu digna indicis auxilio ſemper in promptu habebimus: alioqui legendis relegendiſq; libris, vita hominum breuis cõſumitur: atque indefeſſo ſtudio, bonæ methodi defectu, quaſi ſaxum Siſyphi perpetuò volutatur, atque hæc faciunt ad ſtudendi meth. in genere, ſed daturus operam Philoſophiæ cõparabit ſibi dictata, ſub eodem profeſſore præcedenti buſruco ab aliquo, qui cæteris perfectius exceperit, eaque precio aut precibus comparanda: non contentus tamẽ dictatis profeſſorum præcedentis curſus, commentarios in Ariſtotelem Loua. Colon. Conimb. Rom. vel aliarum Acad. præſtantiſſimos ex multis ſelectos, conſulet in hoc vel illud caput, vt ſi quid ſit ſingulare, quod in dictatis vel commentariis eius Acad. in qua ſtudiis dat operam, nõ habetur; aut non tam clare ac bene decerpat: non tamen vt ſemper in tam diuerſis legendis occupetur; ſi autem iidẽ profeſſores non alternatim logicos & phyſicos ſuſcipiant, tum confugiendum erit ad præſtantiſſ. commẽtaria, & ex iis optima quæque erũt ſeligenda; & ſum-

matim ordine couenienti digerenda: ad quę rectius prę$tanda con$ilium pro-fe$$orum fidele, valde erit vtile. Ante-quam igitur $cholam adeat, textum le-gat, relegat, & diligenter expendat, di-ctata prof. $uper eo & com. con$ulat, at-que ita con$ideret $citu nece$$aria, vt $i non exacte, $altem aliquo modo teneat: idque $it loco lect. præuidendæ. Prof. auide attenteque audiat, è $chola do-mum reuer$us, audita retractet & tum ex $citu dignis præcipua quæque in$igat exacte: omnia vero quæcumque in tota Log. & Phy$. & Metap. (idem iu-dicium $it de aliis artibus) lib. paulatim per libros capita, vel materias progre-diens $ummatim colligat, vel $altem in libris fu$ius tractata $ubducat lineis, vt $ummam retinendorum $ciat. his acce-dat quotidiana repetitio logicæ, pote$t $emihoram ante prandium, & aliam po-meridiano tempore tribuere, vel $i ma-lit, totam horã $imul ante, vel po$t pran-dium ad libitum cuiu$que, $ic vt totam logicam repetat 14. 21. aut 30. $altem diebus, à fine redeundo ad principiũ, $ine intermi$$ione: vel $i totam nondum au-
diuit,

diuit ad quem locũ peruentum eſt. Phyſ. iam factus ſemper continuet logicæ repetitionẽ, & tum eodem modo Phyſ. diſtributam repetat, progrediens vſque ad locum ad quem peruentum eſt docẽdo, &c. Atque pro hac Phyſ. repetitione aliæ duæ ſemihoræ, vel tota pomeridiano tempore ſeu veſpertino erit eligenda Metaph. continuet repetitionẽm logicę & Phyſ. & tum adiungat huius etiã partis, alia hora aſſignata vt dictum eſt, de logica & Phyſ. hoc modo fiet vt omnia exactiſſime quæcunque didicerit, retineantur, & quotidie fiat acceſſio, quod caput eſt in omni ſtudio. Eueniet etiam vt omnibus ſimul memoriæ inhærentibus ex collatione omniũ inter ſe videl. pręcedent. cum med. vlt. cum his & illis; melius longè intelligantur, & multa ex iis dubia nobis occurrentia, vel quæ ab aliis obiiciantur, ad quæ alioqui cæcutimus, ſoluantur: tantaque hinc naſcitur alacritas, vt vix dici poſſit: dũ in examine Prof. publico vel priuato, & diſp. itẽ ad propoſita expedite reſpondetur: & ad ea quæ ex aliis quærũtur, etiam reſpondere quis deſideret. Cõſultum præterea

valde est à parentibus tam Prof. quam filiis præm. sub conditione proponi, eaque satis magna, tum illi sic erecti, sæpe eos ad musæum vocabunt, examinabũt, quæst. doctioribus proponi solitas exhibebunt: calcar addent currentibus, consulti de dubiis facile & serio respondebunt. Quid multa? effectus sequetur munere proposito dignus; neque solum id faciendum si euadat primus, sed etiam si 2.3.4.5.6. imo si inter 12. primos, verum pro loco sint maiora vel minora: si quis dicat nota ea esse ac vulgaria, non quidem plane diffiteor, in genere & sparsim nota, & vnum hæc ex dictis, alium alia scire, vel etiam obseruare: sed omnia coniuncta, & quasi in fasciculum colligata, simul ad praxim sunt reducenda. & haud dubie effectus sequetur admirabilis, & inexpertis omnino incredibilis.



ADMONITIO.

PAVCIS hic admonitos cupimus Auditores noſtros, vt diligenter conſiderent eas partes in quibus medulla artis ſita eſt; minus neceſſariis ad tempus omiſſis. nam huius artis vim duntaxat iĳ nouerunt, qui perpaucis contenti præceptis, iugi meditatione, exercitatione, & ſedulo vſu, facilem quendam habitum memorandi generarunt; quem nec leuiter amittere poſſunt. Deinde non ſeruatam à me in hoc libello methodum artis ſed doctrinæ; qua ſtatim traduntur paucis foliculis, maxime ſcitu neceſſaria. Poſtremo nemo miretur, nouo quodam ſcribendi modo, & hactenus non vſitato cœlari artem. id enim exemplo fecimus bonorum ac ſapientum, adeoque ipſius Dei, qui quædam clare, quædam verò obſcurè & quaſi quodam tecta velamine, populo Iudaico tradidit. Chriſti quoque, qui Apoſtolis & diſcipulis, quibus datum

tum erat nosse mysterium regni Dei, aperte; ceteris autem in parabolis locutus est, vt videntes non videant; & audientes non intelligant: vt est apud D. Lucam.8.cap. Quis insuper nescit, veteres plura suis etiam amicissimis abscondisse,& inuolucris fabularum inuoluisse sapientiæ dogmata?non sunt enim margaritæ, vt in prouerbio est, porcis obiiciendæ:neque excellentiora secreta incapacibus:quę cum assequi nequeunt, vituperant: multosque alieniores ab iis reddunt. Item non omnia, quæ à nobis dicta sunt in arte memoriæ tradenda, statim ad praxim esse reducēda:vt enim omnium Audit. ingeniis satisfaciamus: (cum tot sint sententiæ,quot homines) & ne quidquā cælare videamur, omnia quidem à nobis dicenda sunt; ex quibus singuli ea seligant, quæ ad exercendam memoriam suo ingenio accommodatiora iudicabant:aliquando enim 4.6.8. de vna re dantur regulæ, non quod omnibus vtendum,sed vna ex illis: pro cuiusque libito. Multa quoque traduntur ad illustrandam artem in gratiam eorum,qui omnimodam ex se promptitu-

dinem

dinem non adferunt; quibus doctiores non indigent, multa etiam vtilia licet ſint, omitti ad tempus vel omnino poſſunt, & ſi tyro aut candidatus tantum, ſæpe cum ſuæ profeſſionis aliiſque doctis, huius Artis auditoribus noſtris conſultet, inueniet modum omnia debite exprimendi: & quanto diutius diſcrete in hoc applicandi exercitio verſabitur (non enim vno die, vt in prouerbio eſt, Colonia vel Roma ædificata) tanto expeditiorem faciliorem que conſequetur.

In vocabulis per imagines alphab. lit. exprimendis, ſi ſint aliqua valde longa, vt: Inhonorificabilitudinationiquibuſcunque in quo ſunt 36. lit. non opus eſt omnes exprimere, ſed ſufficit ſi 8. 10. aut 12. reliquæ facile occurrent, vt fit in electione communi. aut licet 4. vel 6. primas, 2. vel 3. medias, & item vlt. repræſentare, quarum adminiculo alia facile ſimul repetemus, quamquam 36. perſonas aut 50. obſeruare aut ſaltem ordinem, vt ex iis ſicuti literis concipiamus, aut legamus, exercitato non eſt difficile.

Conſiderent ſinguli in ſua profeſſione etiam atque etiam, quomodo debeant

beant quælibet arti accommodari, in quo opus eſt ſtudio, diligentia, & cum aliis interdum conſultatione: plus enim vident oculi, quam oculus: & quod vni difficile, & remoram iniicit: alteri facile & expeditum. Nam in recta lib. Art. & grauioribus ſtudiis applicatione, tota huius artis difficultas conſiſtit: & eo omnia tanquam ad finem diriguntur. Si tamen occurrant quæ difficulter efferrentur neque ſupra dicti modi placerēt: E.g. aliqui Pſalmi, vel alia, talia licet ſine arte memoriæ commendare: quæ per artem nunquam impeditur, ſed iuuatur, vt quotieſcunque neceſſe eſt, quælibet communi modo ediſcamus. quanquam illi quibus res cordi erit, & idonei, ſemper aliquem modum inuenient artem omnibus accommodandi, etiam præceptis Grammaticis & aliarum artium & linguarum, quæ tamen ex difficilioribus exiſtimo. Si quis vero audita à nobis theoria, dubia quædam habeat; ad illa coram verbis propoſita, vel abſenti per epiſtolam reſpondere nunquam grauabor. Tum etiam licet omnibus Auditoribus noſtris (ſi modo honeſte iuxta con.

uentio

uentionem satisfecerint) inter sese de arte consultare: præcipue candidatis alicuius facultatis cum doctoribus, Licent. aliisque & eruditione & perspicacitate; variarumque rerum vsu & experientia valentibus: à quibus abunde ipsis, in dubiis poterit satisfieri.

DIuus ille Thomas Aquinas, Angelicus Ecclesiæ Doctor, extra omnem controuersiæ aleam, communi omnium facultatum Theologicarum, totiusque Ecclesiæ suffragio positus, sic inter cætera habet, in aureo illo volumine, quod Summa vocatur, 2. 2. q. 49. A. 1. R. ad 2. Sicuti prudentia aptitudinem quidem habet ex natura, sed eius complementum est ex exercitio, vel gratia; ita (vt Tullius dicit in sua Rhet.) memoria non solum à natura proficiscitur, sed etiam habet plurimum artis & industriæ: & sunt quatuor, per quæ homo bene proficit in memorando, quorum primum est, vt eorum quæ vult memorari, quasdam similitudines assumat conuenientes, nec tamen omnino assuetas: quia ea

quæ ſunt inconſueta magis memoramur;& ſic in eis animus magis ac vehementius detinetur: ex quo fit, vt eorum quæ in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideo autem neceſſaria eſt huiuſmodi ſimilitudinum aut imaginum inuentio, quia intentiones ſimplices & ſpirituales, facilius ex animo elabuntur, niſi quibuſdam ſimilitudinibus corporalibus alligentur: quia humana cognitio potentior eſt circa ſenſibilia. Secundum, vt homo ea quæ memoriter vult tenere, ſua conſideratione ordinate diſponat, vt ex vno memorato, facile ad aliud procedatur: vnde Philoſophus de memoria. A locis videmur reminiſci aliquãdo: cauſa autem eſt, quia velociter ab alio in aliud veniunt. Tertium, vt homo ſollicitudinem apponat, & affectum adhibeat ad ea, quæ vult memorari: quia quanto aliquid magis fuerit impreſſum animo, tanto minus elabitur: vnde Tullius dicit in ſua Rhet. quod ſolitudo conſeruat integras ſimulacrorum figuras. Quartum, quod ea frequenter meditemur, quæ volumus memorari: vnde Philoſophus de memoria: quod medita-

tiones

tiones memoriam ſaluant:quia,vt in eodem libro dicitur:Conſuetudo eſt quaſi natura,vnde multoties quę intelligimus cito reminiſcimur , quaſi naturali quodam ordine,ab vno ad aliud procedentes. Hactenus D. Thomas , Ariſtoteles vero paucioribus,ideoque obſcurius ſic habet : Memoria eſt poſitio ſub ordine, & frequens meditatio , memoriam ſaluans in reminiſcendo : quod exponitur, ſpecies frequenter intueri in phantaſia reſeruatas,auget memoriam.cui alludit Cicero,dicens:memoria artificioſa conſtat èx locis & imaginibus. quod namque Ariſtoteles dixit,poſitio ſub ordine, hoc Tullius, ex locis appellat : quod ſecundo Tullius,ex imaginibus,idem Philoſopho frequens meditatio vocatur:ne quid in ſententia diſcrepent. eſt quippe meditari, ad ſe imagines & intellectum materiæ capere. ſupradictæ definitioni & citatis à D. Thoma ex Ariſtotele locis adiungendum illud eiuſdem , ex libro tertio de anima , intelligentem neceſſe eſt phantaſmata ſpeculari. ex quibus ſuprapoſitis D.Thomæ,& Ariſtotelis verbis,apertiſſime colligitur:primo,
eſſe

esse quandam artem memoriæ, qua naturalis memorandi aptitudo, à Deo fonte bonorum omnium hominibus indita, perficitur atque completur: secundo ex auctoritate Aristotelis, locos nominat, à quibus videmur reminisci aliquando, adiecta ratione: tertio imaginum & similitudinum corporalium mentionem facit, quarum inuentionem dicit necessariam, vt eis intentiones simplices & spirituales alligentur: alioqui facilius ex animo elabentes: qualitatem locorum insinuat, dum inquit: vt homo solitudinem apponat, &c. quam confirmat auctoritate citato loco Ciceronis, Quod solitudo, &c. Imaginum vero qualitatem exprimit, dum ait: conuenientes, nec tamen omnino consuetas: addita ratione illustrat, exemplo declarat, à necessitate confirmat, rationem confirmationis subiicit; eamque rursus probat: quarto ordinatæ meminit dispositionis; quid autem aliud est ordinata dispositio, quam ordo? hic vero duplex est, imaginum & locorum; præterea dispositio ista ordinata, locos in se complectitur seu connotat, in quibus similitudines collocen

locentur:& ſimul reſpectum illum,tam imaginum quam locorum : qui catena memoriæ à nonnullis vocatur : quinto loquitur de frequenti meditatione, quæ nihil aliud eſt , quam praxis ſeu exercitatio;quam auctoritate Ariſtotelis, duabus ex ipſo adductis ſententiis,comprobat,& amplificatione illuſtrat.Cum itaque tam ab ipſo D. Thoma , quam Ariſtotele,loci, imagines ſeu phantaſmata, ordo & frequens meditatio expreſſe nominentur , in quibus ſolis hæc ars tota, tanquam in cardine,verſatur;neceſſario ſequitur , nec vllus æquus rerum æſtimator negare poteſt , artem memoriæ perfecte quidem, licet paucis & obſcure,vt alia multa,ab iiſdem eſſe traditam: quam Cicero,& ex eo Quintilanus tam late tradiderunt , vt D. Thomæ & Ariſtoteli commentarij vice eſſe poſſint.Ex quorum tamen libris , non eſt quod vllus mortalium ſperet ſe praxim poſſe elicere , ſine viua doctoris voce & demonſtratione : non magis quam Arith. Gram. Rhet. Dia. aliaſque artes ſcripto ad poſteros tranſmiſſas.

RATIO

RATIO EXERCENDAE memoriæ à præclarissimis Rhetorum tam Græcorum, quam Romanorum, vno quasi ore approbata: fere ex M. F. Quintil.

MAxima pars memoriæ recte ab iis dicta est 1. exercitatio & labor, hæc autem exercitatio commodius fieri non potest, quam primo in poëmatibus, deinde in orationibus, postremo in operibus durioribus; qualia sunt scripta iuris, & similia. 2. multa ediscere, multa cogitare, & si fieri potest, quotidie, potissimum est: augetur enim memoria cura; negligentia intercidit: quare pueri statim quam plurima addiscant, & quamcunque ætas operam studio iuuandæ memoriæ dabit, deuoret initio tædiũ illud, & scripta & lecta sæpius reuoluendi, & quasi eundem cibum remandendi: quod ipsum hoc fieri potest leuius, si pauca primum, & quæ tædium non adferant, ceperimus ediscere, tum quotidie adiicere singulos versus, quorum

rum acceſſio labori ſenſum incrementi non adferat, in ſummam ad infinitum vſque perueniat. 3. eſt ratio & expeditior, & potentior, ediſcere tacite, 4. ſi vero aliæ ſubirent cogitationes animum otioſum, vt plerumque fit, tum excitandus eſt voce, vt duplici motu iuuetur memoria, dicendi & audiendi: ſed vox hæc ſit modica, & magis murmur 5. ea tamen ratione, vt nos tẽtemus, an teneamus; quia continua lectio, & quæ magis & quæ minus hærent æqualiter tranſit in experiendo, teneaſne, & maior intentio eſt, & nihil ſuperuacui temporis perit: quomodo etiam quæ tenemus, & repeti ſolent, ita ſola quæ exciderunt, retractantur, vt crebra reiteratione firmentur: quamquam ſolent hoc ipſo maxime hærere, quòd exciderunt: qui autem legente alio ediſcit, in parte tradatur quidem, quod acrior eſt oculorum, quam aurium ſenſus, in parte iuuari poteſt, quod cum ſemel aut bis audierit, continuo illi memoriam ſuam experiri licet, & cum legente contendere. 6. ac ſemper ad verbum ediſcendum eſt, ſi tempus permittit: ideoque à pue-

ris præcipue obtinendum:atque in hanc consuetudinem, memoria exercitatione redigenda est: sin minus, res ipsas tenebimus, deinde his verba ex tempore accommodabimus 7. obseruandum autem in hac re, ne assuescamus nobis ignoscere: nam admoneri, & cum dicas, ad librum respicere, turpe est 8. quod si natura memoria durior fueris, aut temporis ratio & angustia non permitteret, non te ad omnia verba alligabis: hoc enim inutile esset, tutiusque multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere: nam & inuitus perdit quisque id, quod elegerat verbum, nec facile reponit aliud, dum id quod scripserat, quærit. obliuio autem vnius verbi, aut deformem hæsitationem habet, aut etiam silentium inducit: in oratione autem longiore ediscenda, hoc primum inuenio præceptum: vt per partes discatur; laborat enim maxime onere; sed partes hæ sint non perexiguæ, alioquin nimis multæ erunt; & eam distinguent, atque concident: nec vtique certum imperauerim modum, sed maxime vt quisque finie-
tur

tur locus: ne forte tam ſit numeroſus, vt ipſe quoque diuidi debeat: dādi ſunt certi quidam termini, vt contextum verborum, qui difficillimus eſt, cōtinuet crebra meditatio: partes deinde ipſas repetitas, ordo coniungat, non eſt inutile his, quæ difficilius hæſerint aliqaas apponere notas, & eas ſæpe repetere; quarum recordatio commoueat, & quaſi excitet memoriam: nemo enim fere eſt tam infelix, vt quod cuique loco ſignum deſtinant, neſciat: aut ſi erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio vtatur, vt ipſæ excitent notæ: hinc eſt in ea arte vtile attendere ſigna ad eos qui excederint ſenſus, anchoram ſi de naue dicendum: ſpiculum ſi de prælio: multum enim ſigna faciunt, & ex alia memoria venit alia: vt cum tranſlatus annulus vel alligatus cōmoueat quare id fecerimus. Illud neminem non iuuabit, eiſdem quibus ſcripſerit, chartis ediſcere; ſequitur enim veſtigiis quibuſdam memoria & velut oculis intuetur, non paginas modo, ſed verſus prope ipſos; qui tum dicit, ſimilis legenti, iam vero ſi litura, aut adiectio, aut mutatio aliqua interueniat,

ſigna ſunt, quę intuẽtes errare non poſſumus. Optimum autem memoriæ mãdandæ tempus eſt, vt noctu, antequam ſomnum capias, ediſcas, quoniam nuſquam euocatur intẽtio; & poſt iſtam cogitationẽm vel lectionem, nihil amplius animo cogitamus, & ſtatim capimus quietem. Sunt qui dicant, ante ſomnum id, quod quis memoriæ tradere cupit, ſemel, bis, aut ter attente legendum eſſe, & mane idem repetendum, ſic enim quaſi nullo labore adhibito, ſatis firmiter impreſſum fore. Mirum namque creditu eſt, nec in promptu ratio, quantum nox interpoſita, firmitatis adferat memoriæ. Luculentum quoque memoriæ exercendæ exemplum Cicero nobis reliquit, in Dialogo de Senect. referens de Catone illo maiore: ſolitum cõmemorare veſperi, quid quotidie didicerat, audierat, & legerat. Poſtremo valde prodeſt, ad multa retinenda, ex viua voce, lectionem diligenter præuideamus, dicentem attentiſſime auſcultemus, & ſtudioſe retractemus audita: quod quanti momenti ſit, multorum teſtimonio conſtat: & experientia,

tia , certiſſima rerum magiſtra , conprobatur.

Nemo autem exiſtimet ſe in hac arte excellere , ac eam perfectiſſimo modo acquirere poſſe , niſi vna ſaltem hebdomada huius artis bene peritum adeat, qui eum quot diebus in ea exerceat. ita verum eſt illud , longeque ſocratiticum. Nil ſine labore dij debere hominibus:ſed laboribus omnia vendunt. Et illud Lips:ex Erip.πόνος εὐκλείας πατήρ. Imo & hoc S. Hieronymi. epiſt. 15.lib.2.Nulla ars abſque magiſtro diſcitur.

SENTENTENTENTIÆ NONnullæ quas D. Lambertus Schenckelius arti applicare, ac in quibus suos auditores exercere solitus fuit.

PRinceps ſine litteris, quaſi nauis eſt ſine remige, & volucris ſine pennis.

Vt in mare flumina, ſic in magnas vrbes vitia influunt.

Tyrannorum verſutia pia fraude diluenda eſt.

Nulla reipublicę adminiſtratio proderit niſi verus Deus colatur.

Peccatum ſubditi culpa paſtoris, ſi tacuerit, reputatur.

Obedientia virtutum omnium mater & cuſtos.

Seruire Deo libertas eſt, liber autem eſt, quem conſcientia non accuſat.

Nobilis equus virgæ vmbra regitur, ignauus ne calcari quidem.

Magna qui ſectatur, mediocria conſequitur.

Satius eſt vnum aliquid inſigniter facere, quam plura mediocriter.

In rebus minimis ſæpe res magnæ doprehenduntur.

Dignitatibus viri dandi ſunt, non dignitates viris.

Facile deuiat à iuſtitia, qui non Deum, ſed homines pertimeſcit.

Amor & odium & proprium commodum, faciunt ſępe iudicem non agnoſcere veritatem.

Multa concedunt leges, quæ diuina iuſtitia punientur.

Quantò mens circa terrena plus ſatagit, tantò in cœleſtibus minus videt.

Satius eſt nihil ſtatui, quam bene ordinata non obſeruari.

Boni duces bonos creant milites, vt pede inoffenſo ipſos ſequantur.

Res eximii præmii eſt inter malos laudabiliter conuerſari.

Mente rectè vti non poſſumus multo cibo & potione completi.

Eſt hominum naturæ maxime inimica crudelitas.

Mens perpetrati ſceleris conſcia, nunquam quieta eſt, ſemper timet, ac malum ſuſpicatur.

Indecens eſt quod ſol inueniat Chriſtianum iacentem in lecto.

Malorum improbitate depreſſa veritas tandem emergit.

Facile contemnit omnia qui ſemper cogitat ſe moriturum.

Rex debet ſe habere ad ſubditos, ſicut, paſtor ad oues.

Principes legem Dei operum ſuorum ducem habeant.

Sapientia victrix ſingula vitia eradicat, & ſingulas inſerit virtutes.

Nihil prodeſt ſanitas in ſuperficie corporis, ſi vulnus animæ intrinſecus latet.

Beata mors quæ ad vitam æternam aditum facit.

In via Dei non progredi; regredi eſt.

Bona clareſcunt cùm fuerint malis comparata.

Fide Deo, diuina beat promiſſio fallax

Spes hominum, quamuis ſplendida: fide Deo.

Tormenta à notis illata plus cruciant quàm ab ignotis.

Quò ſe fortuna vertit eò ſe plerumque hominum

hominum fauor inclinat.

Crudelitas & perfidia deterrent ſæpe à deditione & reconciliatione.

Quiſnam ſagittarius artis ſuæ ita peritus eſt, vt non aliquando aberret à ſcopo?

Sobrietas mater eſt ſanitatis & diligentiæ, diligentia autem diuitiarum.

Similes ſunt leges aranearum telis quas muſcæ validiores perrumpunt, imbecilliores tantum irretitæ tenentur.

Non poteſt in eo ſuccus eſſe diuturnitatis quod nimis celeriter maturitatem eſt conſecutum.

Pacis comes eſt otiique ſocia, & iam benè conſtitutæ ciuitatis quaſi alumna quædam, eloquentia.

Auaritia ſenilis vituperanda eſt maximè, abſurdum eſt enim, quò minus reſtat viæ, eò plus viatici quærere.

Si mundi gloria multos ad res magnas & arduas forti animo gerendas incitauit, quantò magis debet beatitudo vera & æterna?

Trita eſt pietatis via, quam ipſe calca-

nit Christus, & eius Apostoli, Sanctique Dei omnes; & nobis ad eam calcar præbent & exstimulant.

Nihil satius & consultius est, quàm si te in catologo Pontificum Romanorum ac Imperatorum exerceas, ex quo maximum fructum & vtilitatem percipere poteris.

CATALO



CATALOGVS PONTIFICUM ex Cardinale Baronio, Bellarmino, Anastasio Bibliothecario, aliisque optimæ notæ scriptoribus collectus & correctus, ac secundùm secula distinctus.

S. Petrus.
S. Linus.
Cletus *secundùm Hieronimum, Irenæum, Euseb. At Optatus & S. Aug. Anacletum faciunt 3.*
Clemens.

ANNO CHRISTI. 100.

Anacletus.
Euariſtus.
Alexander.
Sixtus
Teleſphorus.
Hyginius.
Pius.
Anicetus.
Soter.
Eleutherius.
Victor.

ANNO 200.

Zephirinus.
Caliſtus.
Vrbanus.
Pontianus.
Anterus.
Fabianus.
Cornelius
Lucius.
Stephanus.
Sixtus, 2.
Dionyſius.
Felix.
Eutychianus.
Caius.

ANNO 300.

Marcellinus.
Marcellus 1.
Euſebius.
Miltiades.
Sylueſter.
Marcus.
Iulius.
Liberius.
Felix 2.
Leonem quendam fingit hic Vincentius in Speculo & Conradus Halberſtad.
Damaſus.
Siricius.
Anaſtaſius.

ANNO 400.

Innocentius.
Zozimus.
Bonifacius.
Cœleſtinus.

Sixtus 3.
Leo.
Hilarius.
Simplicius.
Felix 3.
Gelasius.
Anastasius.2.
Symmachus.

ANNO 500

Hormisda.
Ioannes 1.
Felix 4. *Hunc omittit in suo catalogo Papirius.*
Bonifacius 2.
Ioannes 2.
Agapitus.
Syluerius.
Vigilius.
Pelagius.
Ioannes 3.
Benedictus.
Pelagius 2.
Gregorius.

ANNO 600.

Sabinianus
Bonifacius 3.
Bonifacius 4.
Deus dedit.
Bonifacius 5.
Honorius.
Seuerinus.
Ioannes 4.
Theodorus.
Martinus.
Eugenius.
Vitalianus.
Adeodatus.
Donnus.
Agatho.
Leo 2.
Benedictus.2.
Ioannes 5.

Conon.

Sergius

ANNO 700.

Ioannes 6.

Ioannes 7.

Sisinnius.

Constantinus.

Gregorius 2.

Gregorius 3.

Zacharias.

Stephanus 2. *dictus 3. qui à Papirio omittitur.*

Paulus.

Stephanus 3. *dictus 4.*

Adrianus.

Leo. 3.

ANNO 800.

Stephanus 4.

Paschalis.

Eugenius 2.

Valentinus.

Gregorius 4.

Sergius 2.

Leo 4.

Ioannes hic quidam Anglicus secundùm Platanæ, Martini Poloni, ac Chronicæ anno 1493. Nurbergæ editæ sententiam interponitur, quæ tamẽ iam pridem à sanioribus scriptoribus explosa est.

Benedictus 3.

Nicolaus 1.

Hadrianus 2.

Ioannes 8. aliis 9.

Ma

Marinus.
Adrianus 3.
Stephanus 5.
Formosus.
Bonifacius 6.
Stephanus 6.

ANNO 900.

Romanus.
Theodorus 2. } *omittuntur à Cardinale Bellarmino.*
Ioannes 9.
Benedictus 4.
Leo 5.
Christophorus.
Sergius 3.
Anastasius 3.
Lando.
Ioannes 10.
Leo 7.
Stephanus 7.
Ioannes 11.
Leo 7.
Stephanus 8.
Marinus 2.
Agapitus.
Ioannes 12.
Ioannes 13.
Donnus 2.
Benedictus 6.
Bonifacius 7. *qui non recensetur à Bellarmino.*
Benedictus 7.
Ioannes 14.
Ioannes 15. *qui omittitur à Baronio.*
Ioannes 16. *hic non ponitur in Catalogo.*
Gregorius 5.
Ioannes 17.

Leo 8.
Benedictus 5. | *vter alteri præponendus? consule scriptores, qui inter se discrepant.*

Con

Consiliorum, Pontificum, Imperatorum, sed non scio cuius auctoris.

Syluester 2.

ANNO 1000.

Ioannes 18.
Ioannes 19.
Sergius 4.
Benedictus 8.
Ioannes 20.
Benedictus 9.
Syluester 3.
Gregorius 6.
Clemens 2.
Damasus 2.
Leo 9.

Victor 2.
Stephanus 9.
Benedictus 10.
Nicolaus 2.
Alexander 2.
Gregorius 7. alias Hildebrandus dictus.
Victor 3.
Vrbanus 2.
Paschalis 2.

ANNO 1100.

Gelasius 2.
Calistus 2.
Honorius 2.
Innocentius 2.
Cælestinus 2.
Lucius 2.
Eugenius 3.

Anastasius 4.
Adrianus 4.
Alexander 3.
Lucius 3.
Vrbanus 3.
Gregorius 8.
Clemens 3.

Cæleſtinus 3. Innocentius 3.

ANNO 1200.

Honorius 3.
Gregorius 9.
Cæleſtinus 4.
Innocentius 4.
Alexander 4.
Vrbanus 4.
Clemens 4.
Gregorius 10.
Innocentius 5.
Adrianus 5.
Ioannes 21.
Nicolaus 3.
Martinus 2.
Honorius 4.
Nicolaus 4.
Cæleſtinus 5.
Bonifacius 8.

ANNO 1300.

Benedictus 11.
Clemens 5.
Ioannes 22.
Benedictus 12.
Clemens 6.
Innocentius 6.
Vrbanus 5.
Gregorius 11.
Vrbanus 6.
Bonifacius 9.

ANNO 1400.

Innocentius 7.
Gregorius 12.
Alexander 5.
Ioannes 23.
Martinus 3.
Eugenius 4.

Nico

Nicolaus 5.
Caliſtus 3.
Pius 2.
Paulus 2.
Sixtus 4.
Innocentius 8.
Alexander 6.

ANNO 1500

Pius 2.
Iulius 2.
Leo 10.
Adrianus 6.
Clemens 7.
Paulus 3.
Iulius 3.
Marcellus 2.
Paulus 4.
Pius 4.
Pius 5.
Gregorius 13.
Sixtus 5.
Vrbanus 7.
Gregorius 14.
Innocentius 9.
Clemens 8.

ANNO 1600.

Leo 11.
Paulus 5.

TYRONI AVCTOR ſum vt ſe prius in nominibus Imperatorum exerceat, eaque arti applicet, quàm nomina Pontificum aggrediatur: nam longe facilius & felicius in illis quam in hiſce ſuccedet. Cuius Catalogum (vt ex optimis quibuſque auctoribus eum iam pridem collegi) huc adiicere non abs re tua futurum iudico.

CATALOGVS Imperatorum.

1 Iulius Cæſar.
2 Auguſtus.
3 Tiberius.
4 Caius.
5 Claudius.
6 Nero.
7 Galba.
8 Otto.
9 Vitellius
10 Veſpaſianus.
11 Titus.
12 Domitianus.
13 Nerua.

AN

ANNO 100.

14 Traianus.
15 Hadrianus.
16 Antonius.
17 M. Aurelius & L. Verus.
18 Commodus.
19 Pertinax.
20 Didius Iulianus.
21 Seuerus.

ANNO 200.

22 Antoninus Caracalla.
23 Macrinus.
24 Heliogabalus.
25 Alexander Seuerus.
26 Maximinus.
27 Maximus Balbinus.
28 Gordianus.
29 Philippus.
30 Decius.
31 Gallus, & Volusianus.
32 Valerianus & Gallienus.
33 Claudius II.
34 Aurelianus.
35 Tacitus.
36 Florianus.
37 Probus.
38 Carus.
39 Diocletianus & Maximinianus.

ANNO 300.

40 Constantius & Galerius.
41 Constantinus Magnus.

42 Con

42 Conſtantinus Iunior.
43 Conſtans.
44 Iulianus.
45 Iouinianus.
46 Valens.
47 Theodoſius.
48 Arcadius.

ANNO 400.

49 Theodoſius Iunior.
50 Marcianus.
51 Leo.
52 Zeno. *Baſiliſcus occupat imperium, & tenet annis fere duobus, deinde iterum imperat Zeno.*
53 Anaſtaſius.

ANNO 500.

54 Iuſtinus.
55 Iuſtinianus.
56 Iuſtinus Iunior.
57 Tiberius II.
58 Mauricius.
59 Phocas.

ANNO 600.

60 Heraclius.
61 Conſtans.
62 Conſtantinus Pogonatus.
63 Iuſtinianus Iunior.
64 Leontius.
65 Aaſimarus Tiberius.

ANNO

ANNO 700.

66 Iustinianus Iunior *iterum.*
67 Philippicus
68 Anastasius.
69 Theodosius.III.
70 Leo Isauricus.
71 Constantinus Copronimus.
72 Leo III.

ANNO 800.

73 Carolus Magnus, *qui imperium transtulit ad Francos.*
74 Ludouicus Pius.
75 Lotharius.
76 Ludouicus II.
77 Carolus Caluus.
78 Ludouicus III.
79 Carolus Crassus.
80 Arnulphus.

ANNO 900.

81 Ludouicus IV.
82 Conradus.
83 Henricus.
84 Otto.IV.
85 Otto V.
86 Otto VI.

ANNO 1000.

87 Henricus II.
88 Conradus II.

89 Hen

89 Henricus II. 90 Henricus IV.

ANNO 1100.

91 Henricus V.
92 Lotharius II.
93 Conradus III.
94 Fridericus Ænobardus.
95 Henricus VI.

ANNO 1200.

96 Philippus II.
97 Otto VII.
98 Fridericus II.

Imperium Vacat annis 28.

99 Rudolphus.
100. Aſtaulphus.
101 Albertus.

ANNO 1300.

102 Henricus VII.
103 Ludouicus V.
104 Carolus IV.
105 Venceſlaus.

ANNO 1400.

106 Robertus.
107 Sigiſmundus.
108 Albertus II.
109 Fridericus III.
110 Maximilianus.

ANNO 1500.

111 Carolus V.
112 Ferdinandus II.
113 Maximilianus.
114 Rudolphus II.

ANNO 1600.

115 Matthias.



SPECIMEN

ARTIS MEMORIÆ MARPVRGI HASSORVM XXIX. XXX. Sep. & I.Oct. Stil. Vet. anni MDCII. exhibitum.

CVM forte occaſio ſe ita obtuliſſet, vt Lambertus Schenckelius Dulſiluius non longe à ſuſcepto itinere, Academiam viſeret Marpurgenſem, vt ſuam in docenda ARTE MEMORIAE operam rerum excellentium Amatoribus offerret; permiſſu Superiorum affixis nonnullis locis ſchedulis, ſuam præſentiam & Profeſſionem indicauit. Contigit autem, vt à celebri quodam Profeſſore inuiſceretur, qui nonnullis auctor fuit, vt eam artem diſcerent. Cúmque ipſi forte fortuna obuiam factus, ageret pro ſuo in ignotum fauore gratias,

tias, iuberétque cogitare, qua in re vicissim ipsi aut suis posset gratum facere; respondit nihil se optare aliud, quàm specimen vel in XX. tantum sententiis videre. Qua causa factum est, vt die XXIX. Sept. Styli veteris anni, M. D C I I. hora octaua matutina conuenerint ad ædes celeber. ac magni illius Philosophi & Professoris D. Rudol Goclenij, Clariss. vir ac D. Henricus Elleubergerus, præclarus Medicinæ Doctor & Professor, D. Matthias à Süchten Dantiscanus Borussius & M. Christophorus Bauneman Major stipendiariorum; petítque Schenckelius à D. Goclenio & D. Elleubergero dictari X X V. sententias, quas ipse calamo excepit, præposita cuique nota Arithmetica, deinde intro vocauit ingenuum ac doctum adolescentem Dn. Iustum Iungmannum Cassellanum Hessum Iuris ac Philosophiæ studiosum, cui eæ omnes ordine prælectæ sunt à Schenckelio, singulæ bis interiecto aliquantulo moræ; omnibúsque dictis, tacitus aliquantisper sedit, deinde exorsus loqui

loqui à prima ad vltimam ordine recto & retrogrado ab hac ad illam, sine mora, hæsitatione aut errore recitauit. Cũ verò bis térve euenisset, vt dictionem vnam alteri præponeret; ac bis, vt synonymum pro synonymo, in quibus facillimus est lapsus, ita pro, sic; limites, pro fines: vnico hoc verbo admonitus: dic ordine, dixíne ita? Synonymum ponis: statim & eadem substituit vocabula; & suo ordine: Postremo intercalari ordine quolibet expresso numero statim sententiam: aut dicto primo cuiuslibet sententiæ vocabulo, confestim numerum indicauit. Tum rogauit Dn. Iungmanum Schenckelius, an vellet aliquas præterea sentẽtias adiici? alacri animo XXV. alias addi optauit. Verùm Schenckelio respondente, nimis multas fore, quindecim petiit; quas arti applicatas, eadem dexteritate ac promptitudine qua superiores, quolibet ordine & separatim; & cum aliis coniunctim intercalari repetit: fuerunt autem sententiæ sequentes:

1 *Omnia sunt fucata, nihil candoris in aula est.*

2 *Animus Philosophi debet esse in sagina, corpus in macie.*

3 *Vt plantæ sæpius translatæ rarò perueniunt ad frugem; sic & ingenia vagabunda.*

4 *Plus est imperium acquirere, quàm accipere.*

5 *Dura via est, quæ sternit iter virtutis ad arcem.*

6 *Assensus in re incerta suspendendus est.*

7 *Cæcis videntur omnia tenebricosa & nigra.*

8 *Benefactori præmium semper, etsi quandoque sero reddi solet.*

9 *Animus immortalis etiam in hoc breui, de vniuerso tempore debet esse sollicitus.*

10 *Qui seruit quocumque modo, nulla esse beatus parte potest.*

11 *Vt ferrum rubigine consumitur, sic memoria otio.*

12 *Nosse Deum, & posse mori, sapientia summa est.*

13 *Antiquissimum quodque verissimum est.*

14 *Finis studiorum est eloquentis sapientia, & sapiens eloquentia.*

15 *In verè studioso sit erudita humanitas,*

humana eruditio.

16 In tota vita discendum est mori.

17 Dente nucem frangas, si cupis esse nucem.

18 Virtus sola potest facere & seruare beatum

19 Mortis dies nouæ vitæ natalis est.

20 Facilius est iniuriæ, quàm beneficio vicem reddere.

21 Mola salsa litant, quibus thura non sunt.

22 Nihil iucundius, quàm temporis bene collocati memoria.

23 Luxuriæ soboles est egestas; diuitiarum superbia.

24 Dulces, post acta, labores: & quod fuit durum pati, meminisse iuuat.

25 Quod latet in corde sobrij, natat in lingua ebrij.

26 Duæ sunt alæ, quibus subuolatur in cœlum, Arithmetica & Geometria.

27 Deus gratã de se famã in artibus sparsit.

28 Sicut radiis suis sol collustrat lunam; sic Christus Ecclesiam suo spiritu.

29 Voluptates commendat vsus rarior.

30 Crudelis est in seipsum, qui famam negligit.

31 *Doctus eques, debet rusticus ire pedes.*
32 *Qui non colunt virtutem, non sunt nobiles.*
33 *Vel maximè nitet virtus in arduis.*
34 *Virtus pressa, prementes opprimit.*
35 *Qui semel verecundiæ fines transiit, eum oportet gnauiter esse impudentem.*
36 *Ille careat successibus, qui ex euentu acta iudicat.*
37 *Vis consilij expers mole ruit sua.*
38 *Qui ad pauca respicit, facile fallitur.*
39 *Timiditas ignorantiam, audacia temeritatem arguit.*
40 *Iuuandi non oppugnandi sunt, qui nobis iecêre fundamenta sapientiæ.*

SI inter alias à Dominis aliquæ dicerentur sentẽtiæ paulo tritiores, quas coniiciebat, Dn. Iungmannum antea memoriter scire, id sincerè Dominis indicauit Schenckelius; aliasque illarum loco accepit. Si quoque aliquæ iusto breuiores videbantur, petiuit addi aliquid: vt factum in 23. & 24.

Sequenti die XXX. Septembris, denuò conuenerunt supra nominati Domini ad ædes D. Matthæi Schrodij pharmacopolæ, hora nona, & ab eisdem di-

ctata ſunt quinquaginta vocabula à Schenckelio excepta; & intrò vocato Dn. Iungmanno, ſingula ſemel prælecta, relicto ipſi paululum moræ ad cogitandum, & applicandum arti; deinde à primo ad vltimum ordine recto; ab hoc ad illud retrogrado; poſtea intercalari, quocumque numero dicto, ſubiecit vocabulum; & contra, nominato quolibet vocabulo, numerum, ſine mora, hæſitatione vel errore.

Interrogauit Schenckelius an placeret Dominis plura dare, videlicet: numerum illum duplicatum? quod deſiderabat quidem Dn. Iungmannus, ſed reſponderunt, ſufficere: nec ſe dubitare, quin poſſit multò plura eodem modo recitare.

Poſtea Schenckelio conqueſtus eſt Dn. Iungmannus, dolere ſe, quòd non ad quinquaginta ſententias, & centum vocabula eſſet proceſſum; haud dubie ſe optime repetiturum fuiſſe, fuerunt autem ſequentia.

1 *Globius*
2 *Peristroma*
3 *Ficedula*
4 *Ephippium*
5 *Phaleræ*
6 *Canabis*
7 *Feniculum*
8 *Scintilla*
9 *Culcitra*
10 *Machæropæus*
11 *Salinum*
12 *Salsugo*
13 *Paropsis*
14 *Catinus*
15 *Salsamentum*
16 *Phalanx*
17 *Lactuca*
18 *Rheda*
19 *Symbolum*
20 *Cænaculum*
21 *Decipula*
22 *Condimentum*
23 *Stramen*
24 *Alauda*
25 *Pabulum*
26 *Lanus fl.*
27 *Cathedra*
28 *Pulpamentum*
29 *Philosophus*
30 *Diribitorium*
31 *Plaustrarius*
32 *Medicus*
33 *Armamentarium*
34 *Sica*
35 *Mendicus*
36 *Pecuniarum*
37 *Bene*
38 *Philostrato*
39 *Amicus*
40 *Vale*
41 *Corduba*
42 *Iesuita*
43 *Pontificis*
44 *Mulieribus*
45 *Satis*
46 *Cacodæmon*
47 *Penula*
48 *Iuueni*
49 *Manticæ*
50 *Locaria*

RVrsus oblatis à Schenckelio Dominis, ducentis sententiis, in quibus se exercuerat Dn. Iungmannus, dum specimini se praepararet, & quas iam memoria tenebat; vnà cum quadraginta heri pro specimine dictitatis, quibus praepositae erant notae Arithmeticae; rogauit, vt exprimerent quemlibet numerum, & Dn. Iungmannus statim correspondentem diceret sententiam, quod factum est feliciter, nō sine praesentium admiratione: cum praesertim magno id fieret numeri interuallo. E. G. dic 235. dic. 27. dic. 9. dic. 240. dic. 128. dic. 19. dic. 184. dic. 3. dic. 225. dic. 2. dic. 176. dic. 36. dic. 7, &c.

Postremò Dominis sunt oblata 250. vocabula scripta, in quibus partim se priuatim ad specimē praepararat, partim cum Schenckelio exercuerat, ita vt illa quoque memoria teneret; quibus iam eadem hora erant opposita 50. alia, vt cum prioribus trecenta efficerent; & petiuit Schenckelius, vt Domini quem vellent numerum proferrent: quod ita vt modò dictum est de sententiis, fecerunt: & statim Dn. Iungmannus vocabulum

lum

lum quodque reddidit. Si ſemel aut bis non diceret ipſam ſententiam aut vocabulum, ſeruato prorſus ordine vocum, monitus rem acu non eſſe tactam, veram aut ſententiam aut vocabulum illicò reſtituit.

Die ſubſequenti primo Octobris interfuit D. Iungmannus Concioni publicæ R. D. Doctoris Vvinckelmanni Concionatoris ac Profeſſoris celeberrimi, quam etiam valdè attentè audiuerunt, vt certius de ſpecimine iudicare poſſent, Eximius Med. Doctor & Profeſſor Ellenbergerus, & D. ac M. Chriſtophorus Baunemannus, qui vnà cum Schenckelio concione abſoluta iuerunt recta ad ædes Præclariſſ. D. Goclenij, vt coram ipſis eam repeteret, quod fecit ita promptè & exactè, vt nihil ex tota concione ab ipſo eſſet prætermiſſum.

Hæc omnia ita vt ſupra fideliter relata ſunt, ſe habere teſtamur, cùm ea nobis præſentibus, videntibus, ſententias & vocabula dictantibus, geſta ſint & probata: omni fraude & dolo ſecluſis. In quorum fidem hoc veritati non minus, quàm æquitati debitum teſtimo-

nium nominibus noſtris ſubſcriptis, ſigilliſque munitum libenter Schenckelio vel non roganti dedimus. Marpurgi Haſſorum anno, menſe, die ſuprapoſitis.

Rod.Goclenius L.Profeſſor.
Henricus Ellenbergerus Med. Doctor & Profeſſor.
Matthias à Suchten Dantiſcanus Boruſſus.
Christophorus Baunemans Maior Stipend.

BENEVOLE LECTOR.

DIungmannus aliàs priuatim, aliquoties coram familiaribus concionem repetiuit, qui ſi vellet altiore vocis contentione, ornatè eloqui, quæ ſic audiiſſet, poſſet ſine dubio habitam concionem vel orationem (in qua ad ipſamet verba ſe obligare non expedit) conſcenſo ſtatim ſuggeſto, ſumma cum laude & Auditorum admiratione, nullo ſtudio præcedente, quotieſcunque liberet, repetere; non quaſi ſemel duntaxat audiuiſſet, ſed tanquam

iuſto

iusto ei tempore studuisset.

Ad hæc & longè maiora non ita magno labore & exercitatione, vt periculo nondum facto aliqui temerè existimant, perueniri subsidio artis potest: si se vt filios artis gerant; hoc est, si verè sint studiosi, & res ipsis cordi curæque fuerit: adeò vt nulli omnino sit præclusa ad hanc Mineruæ arcem via: nisi fortè pigritiæ inertiæque se quis dedat, ac deesse sibimetipsi maluerit quàm prodesse.

IN SPECIMEN ΜΝΗΜΟΝΙΚΗΣ CVM laude editum in Academia Marpurgensi à Iusto Iungmanno LL. & Philosophiæ studioso diligentissimo.

Optimus est homini duplex thesaurus: vterque
Numinis eximij mihi donum: Lingua, memórque
Vis animi, quæ condi instar premique reponit
Exprimitque haustas formas simulacráque rerum.

Hac valet ante alios multos virtute Iodocus.
Iungmannus, solidè docti patris æmulus. Istud
Cui fert expensum? Naturæ debet & Arti:
Ars à Natura, Natura innatur ab Arte,
Cuius Cattiacæ specimen mirantur Athenæ.

Rod. Goclenius Professor L.

AD D. IVSTVM IVNGmannum LL. studiosiss. Artis memorandi Specimen edentem.

Henrici Ellenbergeri Med. Doct. & Professoris Marpurgici congratulatio extemporanea.

MIrantur multi, cur nostro tempore nemo.
Priscorum exæquet dicendo sedulitatem:
Cùm nec sit nobis rerum nunc parcor vsus:
Nec forsan Latij sermonis maior egestas.
Iudice me causa est: memori nil mente tenemus
Doctrinæ, leuibus tradentes omne papyris,

Queis

Queis nostra intentè figuntur lumina: porro
Frigida scena silet si gesta concio priua est:
Ergo tibi meritò gratamur Iuste, quod audes
Ingenium superare tuum, doctore magistro
Artis Schenckelio: nam me quoque teste probasti
Te quinquaginta dictata vocabula raptim
Ordine vel prorsum, vel retro reddere posse,
Immò te totidem sapientum sensa virorum
Vel percepta semel memori de mente referre.
Perge igitur, spartámq; tuam feliciter orna;
Ac te scire nihil credas, è diuite mentis
Pro libitu quod non possis depromere cella.

HVc plura specimina huius artis ab eodem auctore Parisiis, aliísque in locis non ignobiliora edita adiicere possem, quæ tamen ne remoram auidis lectoribus & rem ipsam spectantibus iniiciam, volens lubénsque prætereo, mihi persuadens veros rerum æstimatores ex his facilè coniecturam facturos de aliis. Sed hic vix tempero mihi quin longè excellentissimum illud M. Antonij Mureti artificialis memoriæ exemplum coronidis instar adiungam, quod

ſic (vt eloquentiſſimi auctoris verbis vtar) habet. Hippias apud Platonem, tanquam de magno quodam eóq; præſtanti bono gloriatur, poſſe ſe quinquaginta nomina, ſemel tantum audita recitare: at hoc nihil eſt, præut quæ de ſe Seneca ſcribit: huius hæc ſunt è libro 1. Declamationum: ſed cum multa iam mihi ex me deſideranda ſenectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium ſenſum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit: inter ea quæ retuli memoria eſt, res ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis, in quam primum ſenectus incurrit. Hanc aliquādo in me floruiſſe, vt non tātùm ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet, non nego. Nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam: & ab iis qui ad audiendum præceptorem noſtrum conuenerant, ſingulos verſus à ſingulis datos, cùm plures quàm ducenti efficerentur, ad vltimo incipiens vſque ad primum, recitabam: nec ad complectenda tantum quæ vellem, velox erat mihi memoria: ſed etiam ad retinenda quæ acceperat. Hæc
Sene

Seneca: quæ ſemper mihi mirabilia: ac prope dixerim incredibilia viſa erant, donec vidi ipſe quod nunquam crediliſſem. Habitabat Patauij in vicinia mea homo adoleſcens, genere Corſicus, honeſto, vt ferebatur & credibile erat, apud ſuos loco natus, qui eò venerat ad ius ciuile diſcendum, quo in ſtudio ita diligenter, & attentè annos aliquot conſumpſerat, vt magna iam eſſet de doctrina illius hominum opinio. Ventitabat autem ferè quotidiè in ædes meas, deuexo iam & inclinato ſolò, ęſtas enim erat: ibique quod ædes ſatis amplæ erant, ſatíſque apricæ, aut ſub dio ambulans, & cum ęqualibus ſuis iucundiſſimè colloquens, aut ſaltu aut lucta, aut trigonali pila corpus exercens, feſſas ſtudiorum laboribus vires honeſtiſſimè reficiebat: rumor erat, tenere eum artem quandam memoriæ, cuius auxilio multa efficeret, quæ credi niſi ſpectata non poſſent: is cum ad aures meas perlatus eſſet, cupido me inceſſit mirabilia illa & inaudita ſpectandi. Eiuſmodi enim in rebus minimè omnium auditis credulus eſſe ſoleo, viſum eſt igitur, quando

ipſe

ipſe domo mea arbitratu ſuo vteretur, hoc ab eo quaſi ἐυνοίκιον exigere, vt quod ſibi commodum foret, præſente me artis ſuæ Specimen aliquod daret, ille nihil grauatus, libentiſſimo animo ſe cùm vellem, facturum reſpondit. Placuit, ſtatim, cum per ipſum mora non eſſet, vnà omnes qui aderamus, in proximum cubiculum ingreſſi, conſedimus, cœpi ego dictare nomina latina, Græca, Barbara, ſignificantia, nihil ſignificantia; tam varia, tam nihil inter ſe cohærentia, tam multa, vt & ego dictando, & puer, cui mandatum erat, vt ea exciperet, ſcribendo, & cæteri qui aderant, audiendo, atque ſpectando feſſi iam miris modis eſſemus omnes: ipſe vnus ex omni numero alacer ac recens, aſſidue plura poſcebat. Sed cum ego ipſe modum aliquem fieri oportere dixiſſem, abunde mihi ſatisfactum iri, ſi vel dimidiam partem eorum quæ dicta erant recitare potuiſſet: tum ille fixo ad terram obtutu magna noſtra omnium exſpectatione tacitus aliquandiu ſtetit. quid verbis opus eſt? vidi facinus vt ille ait mirificiſſimum. ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος

vi⊕ exorſus loqui, plane omnia eodem ordine,nuſquam propè inſiſtens,nuſquã hæſitans,nobis ſtupeſcentibus, reddidit: deinde ab vltimo incipiens, ſurſum verſus peruenit ad primũ.Rurſus ita vt primum , tertium , quintum diceret,ac ſic deinceps omnia,quò deníque quiſquam voluerat ordine, ſine vllo errore omnia referebat. Idem poſtea cùm ei iam familiarior factus eſſem , ſæpè expertus, vſquequaque verum eſſe deprehendi: ipſe mihi aliquando affirmauit , & erat ab omni iactantia alieniſſimus,ſe triginta ſex millia nominum eo modo recitare poſſe. Quodque admirabilius eſt, ita hærebant omnia in animo , vt vel poſt annum diceret , ſe quæcumque memoriæ commendaſſet, minimo negotio repetiturum : ego certè poſt multos dies facto periculo, verũ id comperi. Neque hoc ſatis,diuerſatur apud me Franciſcus Molinus,patricius Venetus , adoleſcens optimarum artium ſtudiis mirificè deditus , qui cùm ſe memoria parum firma eſſe ſentiret, orauit hominem vti ſe artem illam doceret. Vix oſtenderat ſe id velle ; cùm Corſicus operam ſuam

ſe illi prolixiſſimè detulit, dictus eſt locus, dicta hora, ad quam quotidie conuenirent: nondum ſex vel ſeptem dies abierant, cùm ille quoque alter, nomina amplius quingenta ſine vlla difficultate, aut eodem, aut quocunque alio libuiſſet ordine repetebat. Hæc ego vix auderem literis prodere, mendacij ſuſpicionem reuerens, niſi & res adhuc recens eſſet (nondum enim annus eſt) & Nicolaum Lippomanum Petri Alexandri filium, Ioannem Lazarium Mocenium Franciſci filium, Ioannem Malipetrum Nicolai filium, Georgium Contaretum Laurentij filiũ, patricios Venetos, optimos & nobiliſſimos adoleſcentes, alióſque præterea innumerabiles eius rei teſtes haberem; à quibus, ſi mentirer, vanitatem meam argui nollem: Artem verò illam Corſicus accepiſſe ſe dicebat ab homine Gallo, quo puer domeſtico præceptore vſus eſſet. Hunc ego ne ex antiquitate quidem, quem opponam, habeo: niſi fortè Cyrum, quem Plinius, Quinctilianus, & alij Latini ſcriptores tradiderunt, tenuiſſe omnium militum nomina. Sed

hoc

hoc vt verum fatear, ſemper veritus ſum quàm conſiderate atque exploratè tradidiſſent. Xenophon enim, à quo illi vel vno vel præcipuo, quæ de Cyro di. cebant, accipere potuerunt, iſtud tam incredibile non dicit: ſed tantum eum tenuiſſe nomina τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων, quod vt in Imperatore laudabile eſt; ita non excedit fidem. Locus, ſi quis requirit, eſt libro quinto παιδείας. Fieri autem poteſt, vt Latinorum aliquis qui locum illum Xenophontis male accepiſſet, alios poſtea auctoritate ſua in errorem induxerit: hoc enim non ſemel nouimus contigiſſe. Sed tamen, hac de re nihil affirmo. Non erit alienum, vt puto, aſcribere hoc loco diſtichon quo Simonides, qui eius de qua locuti ſumus, artis pater fuiſſe traditur, iam octogenarius gloriatus eſt, neminem ſibi memoria parem eſſe.

Μνήμην δ' οὔτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
Ὀγδοηκονταέτει παιδὶ Λεωπρεπέος.

At Apollonius Tyaneus, cùm centum haberet annos, tum quoque memoria excelluiſſe fertur. Hactenus ex libro 3.

Variarum lectionum Mureti: ex quibus vel hinc meridiana luce clarius patet Senecam iuxta ac Corsicum adolescentem artificiali memoria floruisse, quod retrogrado intercalarique ordine sua repetierint. Sed Epitomen ipsius Domini Lamberti Schenckelij, omnium lectionem, ad quam vt ad Cynosuram te dirigas, ne ab omni vento dubiisque fluctibus circumferaris errabundus, accipito.

Lambertus Schenckelius Dulciuius, iam viginti abhinc annis artem memoriæ docens, primum in inferiori, deinde in superiori Germania, Burgundia, Francia, Auditoribus suis scientia, fidelitate, & diligentia satisfecit; qui sunt Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Comites, Barones, Præsides, Consiliarij, Senatores, Doctores in quauis facultate, aliique magni viri, & scholastici quam plurimi; multáque ex eorum suggestione accesserunt vtilissima, quæ priorum annorum auditores non acceperunt: ita vt iam ars absoluta, omnibúsque numeris perfecta, merito iudicari possit.

Exa

Examinatus quoque sæpe fuit ab Episcopis Antuerpiensi, Leodiensi, Coloniensi, Herbipolensi, Basileensi, Atrebatensi, à Senatu quoque academico Louaniensi, Duacensi, Herbipolitano, & aliis; ac postremo per magnificũ D. Rectorem Academiæ Parisiensis, præmisso examine, acceptóque iuramento, in numerum Vniuersitatis cooptatus est; facta potestate supradictam artem docendi.

Postea iussu magnificentissimi D. Cancellarij Franciæ, à clariss. viro D. Marillac, Magistro Libellorum supplicum, super arte memoriæ examinatus, ne (quemadmodum sæpe contigit) Auditores male tempore & pecunia collocatis fallerentur: ita ipsis rationibus, & demonstrationibus satisfecit, vt relatione ad Magn. D. Cancellarium facta, obtinuerit literas, sigillo Regio munitas, quibus ipsi permittitur, per totum Galliarum regnum, artem memoriæ liberè docere; cum inhibitione, ne quis eum quocunque modo turbet: Anditores verò ne publicè aut priuatim, citra illius voluntatem, doceant, sub grauissima pecuniæ mulcta, sicuti ex Regio Diplo

Diplomate latius patet.

Ars autem ipſa magnificis ornata eſt titulis à ſummis viris, Doctoribus ac S. T. Profeſſoribus, fide dignis, quorum vnus prædiuinum beneficium appellat: Alius Theſaurũ perutilem Concionatoribus, Philoſophis, Medicis, Iuriſtis, Oratoribus, bonarum literarum amatoribus, cæteríſque omnibus tenacem ac firmam rerum memoriam cupientibus: rerum cæleſtium & terreſtrium tenax ac tutum ſcrinium, omnes ſui poſſeſſores locupletans: aítque memoriam augeri induſtria: arte nobilitari ac perfici. quare ſi multo labore conati ſunt quamplurimi, corporis aut animi vires arte perficere, nequaquam erit indignum, hanc memorandi artem addiſcere: qua dormiens memoria excitatur à ſomno; labilis fit tenax; ignobilis nobilitate donatur; abiecta clareſcit; parua accipit incrementnm; mouetur immobilis; mortua reuiuiſcit: quæ ſi à natura vigilans ac tenax, nobilis & clara, mobilis & viuax, aliquo in homine exſtiterit, in eo ipſo, artificio & induſtria præſtantiſſimam fore pollicemur

Cui

Cui connexa eſt ars dictandi x. xv. xx. aut pluribus ſcribis, diuerſas eodem tempore materias.

Et tam celeriter excipiendi calamo, atque Concionatores, Oratores, vel Aduocati in cauſarum actione loquuntur.

Vna cum methodo ſtudendi artibus liberalibus, & grauioribus diſciplinis, minori labore, & fructu maiore: qua quis commilitones ea deſtitutos ſuperet, quamuis ingenio & induſtria præſtantiores.

Aliud præterea artificium memoriæ, neque locis, neque imaginibus indigens.

Item quomodo, præmiſſa exercitatione trium aut quatuor ſeptimarum, formari poſſint ducenta quinquaginta locorum millia intra ſpacium orationis Dominicæ, idque decies aut ſæpius in die ſine ſtudio aut labore, exactiùs quàm alius deſtitutus arte, toto faceret anno.

Ita diſtribuere omnia & ſingula, quæ quis arti ſemel applicuit, vt ſine confuſione facilius ſeptem artes liberales, tres

ſubli

ſublimiores diſciplinæ, Hiſtoriæ omnes, Conciones, Fabulæ, earumque explicationes retineantur, quàm alius ſine hac diſtectione, tres artes liberales, & vnam ex ſuperioribus diſciplinis, eaque habere extra memoriam, cui tantum opus eſt ſenſum retinere.

Sic diſponere artes liberales, Theologiam, Iuriſprudentiam, Medicinam, Hiſtorias ſacras & profanas: Conciones, D. Thomam, alioſque Eccleſiæ Doctores, Controuerſias, caſus conſcientiæ, quidquid denique cognitione dignum eſt, vt omnia oculis repræſententur corporeis.

Formare in memoria Bibliothecam omnium arti applicatorum librorum, & in iis contentorum; eaque vti quaſi materiali: quæ magno compararetur ſumptu, & maxima hûc illûc nobiſcum moleſtia circumferretur.

Abſoluet curſum, nouem vel vndecim diebus, vnam tantum horam quotidie impendens; decima, vel duodecima, dubia ſi quæ ſe offerant ex omnibus lectionibus, proponentur: ad quæ ex tempore reſpondebitur.

Si qui

Si qui in dignitate constituti, domi suæ artem audire cupiant, modo aliquot simul conueniant statuta hora, lubens quocumque loco & tempore se eis sistet.

Quod si absoluto cursu aliqui existimarent sibi non esse satisfactum (vt ést perdifficile omnibus in docendo placere) submittet se arbitrorum iudicio, sine omni contradictione: vt sole clarius appareat, non nisi simpliciter & sincerè velle procedere.

Aliquot diebus ante discessum, de eo affixis publicè schedulis omnes admonebit, vt si cui non esset satisfactum, habeat tempus conueniendi, & ad æquitatem iure cogendi.

De veritate ac præstantia artis, consulant libellum de memoria primum, & exempla speciminum & attestationum: quorum copiam legendi faciet desiderantibus.

Sed hoc etiam omnes admonitos cupit, se non nisi mense vno, aut ad summum, duobus, in hac vrbe commoraturum: ideoque opus esse primo quoque tempore incipere: ne postea doleant

tantam occaſionem à ſe prætermiſſam.

Latius ex adiunctis quilibet informabitur; ſi coram loqui placeat, vel domi conueniant, vel miſſo famulo, ad ſe vocent.

Res faciat, non verba fidem: Loquaces.
Procul eſto Maligni. Profani.

Cum Priuilegio Regis Chriſtianiſſimi. Franciæ & Nauarræ.

DE



DE VTILITATIBVS ET EFFECTIBVS MIRABILIBVS Artis Memoriæ,

Et quid ſingulis lectionibus proponatur.

PRIMA lectione traduntur fundamenta artis,& regula vocabulorum intellectorum , & in xxv.fit declaratio , ac ſtatim aliqui ex Auditoribus illa recto , retrogrado , & intercalari ordine repetunt , ſine mora vel hæſitatione:quidam adeò promptè , ac ſi ex charta deſcripta legerent. Sequenti die , hora conſtituta , propoſita alia xxv.vocabula , ab ipſis Auditoribus ſuo Marte applicantur , ac repetuntur feliciter. Si placeret illis, prima lectione abſoluta , ſe exercere in aliis xxv. dictionibus, interiecto duarum aut trium horarum ſpatio , eodem die conſequerentur id , de quo apud Platonem

Platonem gloriatur Hippias, tanquam de magno quodam bono ſe poſſe 50. vocabula ſemel audita vel lecta, quolibet ordine repetere. Si vero quotidie ſemihoram, vel duos quadrantes diuiſim huic exercitio quidam vellent tribuere, idque x. vel xv. diebus, 200. 300. 400. 500. aut plura referrent. Si quis per hanc regulam 1000. paulatim 2000. 3000. 4000. didicerit, quocunque numero expreſſo, vocabulum dicet: aut nominata quacumque voce numerum indicabit: tanta cum admiratione hominum, vt iudicent omnem captum excedere humanum: neque naturaliter fieri poſſe, ſed aliquid mali ſubeſſe: quod in cauſa fuit, cur ſæpe, iuſſu Epiſcoporum, Magiſtratuum Academicorum, debuerim examinari, & oſtendere ad oculum nihil mali latere: ſicuti omnes Auditores fateri coguntur.

Secunda proponit regulam ſententiarum, ſiue textus continui, eaque declaratur in xij. ſententiis, quas Auditores repetunt quaternas, deinde à duodecima reditur ordine ad primam, & contra, quod eadem fit felicitate à quibuſdam

dam hora: alij exercitatione indigent vnius, duorum, vel trium dierum, vt idem præſtent: neque hic licet ſynonymum pro ſynonymo collocare, in quibus tamen facillimus eſt lapſus: aut ſitum dictionum mutare. Sequenti die dictantur aliæ xij. ſententiæ à Profeſſore, bis vnaquæque, relicto paululum moræ poſt ſingulas, quas Auditores per ſe applicant ſecundùm demonſtrationem præcedentis diei, exacte repetuntur, vt ſupra dictum eſt. Dum verò ſuo iudicio & modo faciunt, felicius nonnullis ſuccedit, quàm quando alterius ductum ſequuntur. Hæc eſt difficillima regula totius artis, ſi quis tamen in ea ſe exerceat x. xij. aut xv. diebus xx. xxx. vel xl. exactè poterit ad verbum recitare: ita vt nullam omnino dictionem mutet, vel è ſuo ordine remoueat. Si verò contingeret aliquam particulam omitti, vel tranſponi, leuiter tantum admonitus, ſupplet, & in ſuum digerit locum.

Hac regula Biblia, Inſtitutiones Iuris, & Medicinæ, Tituli, Leges, Paragraphi, Compendia Theologiæ, Iuriſ-

prudentiæ, Medicinæ, &c ad verbum retineri possunt.

Si nullus alius esset effectus artis memoriæ, quàm supradictus, anne & cognitione dignissima, & liberali honorario redimenda?

Paucis abhinc diebus, duobus perspicaci ingenio viris sic sum locutus: Si vnius horæ spacio effecero, vt eadem xxv. vocabula quouis ordine repetatis: altera, xij. sententias, sine errore, deinde vos vestro quod aiunt Marte viij. x. aut xij. diebus exerceatis, semihora in vna regula, & semihora in altera: id consequimini vt 100.200.300. vocabula, 20. 30.40. sententias verbo tenus exacte repetatis: quanti illas 2. lectiones æstimaretis? sine deliberatione responderunt, id pecunia æstimari non posse. Non dubito quin 2. prælectiones non solum 6. aut 12. sed 20. 30. imo 50. aureis iudicent redimendas.

Longiore vero accedente exercitio, anni aut duorum, 60. 80. 100. 200. à quibusdam repeterentur. Quod Seneca in prologo declamationum de se testatur. Quid vero existimandum, si 4. 6. 8.

10.

10.20. annis aliqui discretè in hac praxi versarentur?

Tertia ostendit regulam collocandarum rerum mira facilitate, vt sunt exempla memorabilia similitudines, apophthegmata, historiæ sacræ; profanæ: conciones, causarum actiones, &c. ac statim subiungitur demonstratio in xij. exemplis, antea, si fieri potest, non auditis: quarum repetitio longior esset, idcirco relinquitur Auditorum diligentiæ: qui vident & agnoscunt non tantum 12. aut 20. sed 50. vel 100. posse repeti eadem facilitate, qua totidem vocabula. Non enim hic obligamur ad verba, sed res ordine repetuntur, accommodatis verbis ex tempore prout vnicuique datum est à Deo, & promptitudinem exercitatione aliorum studiorum attulerit. Ex hac lectione perspicacis ingenij Auditores, multa prospicere possunt, quomodo videlicet Conciones, Causarum actiones, vel negotiorum tractationes, retineri queant, licet in specie de singulis eorum suo tempore & loco simus dicturi.

Quarta monstrat quomodo vocabula

non intellecta, & non figurata retineantur: vt sunt, Aduerbia, Coniunctiones, Præpositiones, & Interiectiones: Numeri item Arithmetici, & quomodo personæ sint exprimendæ: quæ lectio nobis semper ieiuna & sterilis visa est: aliis aliter videtur. Si tamen vnum, quod in ea traditur præceptum, exercitatione assequamur, non modo non sterilis, sed instar aliarum fere omnium esset. Puto autem esse neminem, quin si serio velit animum vno, duobus, aut tribus mensibus applicare, semihora, bis quotidie, possit assequi. Si autem 6. vel IX. menses, vel annum consumamus, vt legere prompte & scribere discamus, cur recusemus igitur aliquid temporis huic studio impendere?

Quinta lectione traditur modus disponendæ concionis, siue nos ipsi velimus habere, siue ab alio habitam eadem celeritate qua loquitur, excipere: tum de oratione, in qua cum sint plures partes, quam 3. vel quatuor, aliter procedendum esse demonstratur. Et hoc fit quidem non de

verbo

verbo ad verbum,ſed 4. 6. vel 8. à non-
nullis xij. ſententiæ ſiue citationes ver-
bo tenus retinentur ex concione : alia
vero materia ordine ſuo , & quia fe-
re eædem ſunt formæ loquendi alicu-
ius linguæ , cuius peritiſſimi ſumus , fit
vt videamur aliis , imo ipſi concionato-
ri , quaſi ad verbum repetiiſſe. Repe-
tere autem Concionem vel orationem
verbatim vnius horæ , non modò natu-
ræ vires , omnemque exercitationem,
verum etiam artem ipſam coniunctam,
longe ſuperat. Sunt enim in tali con-
cione plus quam 10000. 20000. 30000.
aut 40000. omnium partium oratio-
tionis vocabula , quæ ſemel , vt fit,
inter concionandum aut declaman-
dum auribus excepta , retinere : quis
non videt fieri omnino naturaliter
non poſſe ? Fit tamen ſine arte par-
ticulatim ediſcendo , vt quotidiana
teſtatur experientia : & in eo ipſo
apparet donum Dei incomprehenſi-
bile , ſumma dignum admiratione.
Illud vero certiſſimum eſt , acceden-
te arte , & citius & certius poſſe
quidlibet memoriæ mandari , ac re-

tineri. Dicitur quoque facilior quidam modus retinendæ concionis, qua indocti vel etiam feminæ vti possunt. Postea de Argumentorum collocatione, & de praxi: quam si quis exerceat quotidie vna hora diuisa in duas partes, præterquám quod sibi promptitudinem comparabit, etiam thesaurum, quo per totam vitam ornabitur, consequetur.

Sexta docet & explicat latiorem tractationem locorum realium, & imaginariorum: & quomodo præmissa exercitatione xv. dierum, vel iij. aut iiij. septimanarum, sine alio studio & labore, ducenta & quinquaginta locorum millia, imo vero millio. 1. decies centena millia, intra spacium oratiotionis Dominicæ formari possint: idque decies, vigesies aut sæpius in die: ita vt absoluto semel exercitio præparatorio, nunquam quis in vita deinceps de iis sollicitus esse debeat: quod maximi in hac arte est momenti.

Nam secundùm præcepta hactenus tradi solita, quotidie fere per totam vitam, in eis efformandis amatores huius

ius artis debebant esse occupati: quod sane molestum & tædiosum nimis erat. Modus quoque ita omnia distribuendi, vt etiamsi artes liberales omnes (sub quibus Mathematicas complector) Theologia, Iurisprudentia, Medicina, Historiæ omnes, Fabulæ, earumque explicationes: quidquid denique cognitione dignum iudicabimus, retinere velimus, sine onere & confusione facilius retineamus, quam sine eo, tres artes liberales, vnam ex disciplinis grauioribus, & aliquot historias. Postremo indicatur quo fulcro sustententur omnia, regulis artis applicata, vt nihil corruat. Nam non satis est, multa bene disposuisse, nisi ita fulciantur, vt perpetuo maneant.

Septima lectio demonstrat modum collocandorum librorum, quomodo videlicet singuli sint exprimendi, quod facile admodum factu est: neque vllus vnquam fuit mihi auditor, qui in hoc difficultatem inuenerit, aut aliquod dubium proposuerit. Maior vero est in citatione, quam vulgò & barbare quota-

tionem vocant, præcipuè cum multæ ſimul ex tempore ſunt retinendæ: vtpote octo, decem aut duodecim. Si autem eiuſdem auctoris diuerſi libri citentur ſæpius,& capita; vel Iuriſconſultorum more, ſemifacies libri vel plus, meris impleatur citationibus diuerſorum auctorum, libris, capitibus, titulis, legibus, paragraphis, ex Digeſtis, Cod. Nouellis, &c. prolatis: tum rem difficilem, & longioris exercitationis fatemur in qua nemo auctorum hactenus mihi ſatisfecit. Longa vero exercitatione & conſideratione edocti, videmur hic melius procedere, quàm ab vllo ante nos eſt factum. Subiungitur deinde admirabilis penituſque incredibilis dictandi ad verbum demonſtratio, 6. 8. 10. 20. 30.40. 50. 60. 80. vel 100. ſcribis diuerſas epiſtolas vel materias, ſine hæſitatione aut confuſione; quod adeo captum omnium ſuperat, vt perſuaderi niſi experientia, non poſſit: in quo tamen plus eſt admirationis, quàm vtilitatis: raró enim fit vt pluribus ad ad verbum dictemus,quàm 4.6.8.10.vel 12. quod magna cum difficultate fieri

poteſt

poteſt ; & oportet eum qui ſic velit dictare, prius exactiſſime per regulas artis memoriæ commendare; quod aliquo modo tædioſum ac moleſtum eſt. Si quis autem vellet ſe præparare, vt centum diuerſas dictet materias vel epiſtolas, opus eſt longa præparatione; videlicet 6. menſium : & vtilitates habet multas, quas exponimus inter docendum ; ſed tamen à condito orbe ad noſtra vſque tempora, non puto ſpecimen eſſe editum. Fieri tamen poſſe, ſi quis velit laborem ſubire, apertiſſime ad oculum demonſtramus ; rationemque ſciendi vltimum vocabulum in tanta multitudine & varietate, vt vlterius vnicuique dictare poſſimus : in quo alioqui ſumma erat difficultas.

Subiungitur modus dictandi 4. 6. aut 8. ſi quis velit, x. aut xij. ex tempore. Exempli gratia ; Accipit aliquis faſciculum literarum, in quo ſunt 6. 7. aut 8. epiſtolæ ; legit ſingulas, & quod cuique reſpondendum, ſubito collocat : deinde ſecundam, tertiam, &c. lectis omnibus celerrimeque reſponſionibus diſpoſitis, ſtatis dictat : ſine alio labore aut

præparatione: & hoc vſum poteſt habere frequentem, & tum non obligamus nos ad verba, ac ſpecimen editur in octo diuerſis materiis dictandis.

Poſtremo ſubiungitur modus tam celeriter excipiendi calamo, atque Concionator; Orator vel Patronus in cauſarum actione loquuntur; quod tribus modis fit quorum primus nullam omnino requirit præparationem: ſed ſtatim in praxim redigi poteſt: ſecundus & tertius requirunt menſis, duorum aut trium: ſed promptitudo ſemel acquiſita, numquam amittitur: fingamus autem à tardioribus aut aliunde occupatis, 4. 5. vel 6. menſes conſumi; vel etiam totum annnum, anne res digniſſima iure videatur; Tertius modus nobiliſſimus eſt, formamque ſecreto ſcribendi, talem habet coniunctam, vt ab omnibus mortalibus huic ſoli rei detegendæ vel interpretandæ vacantibus, per totum vitæ curriculum nequeat indagari naturaliter. Si vero aliquis velit poſteros legere, quæ ſic ſunt deſcripta, neceſſe eſt ipſis relinquere declarationem.

Octaua latiſſimum mare praxis per-

naui

nauigat, demonſtrans quomodo hæc præcepta Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, ceteriſque artibus liberalibus applicentur: item Theologiæ, Iuriſprudentiæ & Medicinæ, idque per diuiſionem Grammaticæ in Rudimenta, Syntaxim & Proſodiam, & annotationes in illam: Rhetoricæ in quatuor partes fere æquales, ac ſubdiuiſiones in maiores & minores: item Dialecticæ & cæterarum. Biblia. D. Thomas, aliíque in ea ſcriptores, Inſtitutiones Iuris, Digeſta, Codex, Nouellæ ad eundem modum diſponuntur: itemque quomodo tituli, leges, paragraphi, ad verbum, vel tantum materia dirigatur, vt per totam vitam ſemel debite applicata, inhæreant. Omnia quoque Medicinæ ſimplicia, Inſtitutiones, Aphoriſmi Hippocratis, Galeni Compendium, & aliorum in Medicina ſcriptorum. Quomodo Aduocati & Procuratores, in cauſarum actionibus, Conſiliarij, Præſides, Legati ad Principes, Notarij, Mercatores, nuncij, cæteríque omnes cuiuſque ſtatus aut conditionis: ídque vno ex quinque modis, ad lubitum cuiuſ-

que

que : dico tamen meam de iis ſententiam, quod videlicet mihi magis probetur.

Forma quoque oſtenditur diſponendi artes liberales, Grauiores diſciplinas, D. Thomam, alióſque Eccleſiæ Doctores, Hiſtorias, controuerſias, Conciones, & quidquid præterea dignum eſt cognitione, vt omnia & ſingulæ oculis repreſententur corporeis. In his longè lateque explicandis lectio abſoluitur.

Nona explicantur tres, ex 28. regulæ, quibus obſeruatis, felicius, maioréque decore ars exercetur, reliquæ priuatim Auditoribus legendæ offeruntur impreſſæ, propterea quod ex ſupradictis, vel per ſe, facilè intelligantur. Ex occaſione vnius ex tribus explicatis, monſtratur ars illa memoriæ, quæ neque locis, neque imaginibus indiget: cuius opera quidam maxima quæque præſtant: licet prima fronte ac in ſuperficie parui videatur momenti. Non poteſt tamen hæc ex tempore exerceri, ſed priuato domi ſtudio, quæcunque

volu

volumus accomodamus, ac perpetuò retinemus.

Adiicitur deinde methodus ſtudendi minore labore & maiore profectu, artibus liberalibus, & altioribus diſciplinis in genere, & in ſpecie Philoſophiæ: qua quis commilitones ea deſtitutos ſuperet, quamuis ingenio & induſtria præſtantiores.

Poſtremò forma Bibliothecæ conficiendæ, in qua non tantum tituli librorum, ſed tota materia in ſpecie ita diſponitur, vt quocumque ſimus loco, etiam remotiſſimo, illa vtamur quaſi præſentes oculis ſingula legeremus corporeis in materiali: quæ magno ſumptu & compararetur & circumferretur.

Subiunguntur admonitiones aliquot, & quæ D. Thomas Aquinas obſcure ac paucis de hac arte ſcripſerit; quid Cicero, & quibus locis item auctor ad Herennium, & Quintilianus legenda demonſtrantur; atque ex hactenus dictis, plura conſideranda, addenda, detrahenda, commutanda cuiuſque iudicio

cio relinquuntur, ac ſic finis operi imponitur.

Duodecimo die ſtatuitur hora, qua Auditores conueniant, ac ſi quæ habeant, ex omnibus ſupradictis dubia, proponant; ad quæ reſpondetur promptiſſime, & ex tempore.

Si in applicanda arte dubium vel difficultas ſe offerat, ſemper habent facultatem libere accedendi Doctorem; poſt illius vero diſceſſum, licet cum aliis auditoribus agere, dubia proponere; ſi quis aliquid adinuenerit, ſociis indicare: modo ſymbolo à me dari ſolito conſtet fuiſſe meos Auditores; quod niſi oſtendant, quamuis veriſimiliter de arte loquerentur, omnem ipſis fidem abrogatam volo.

Notandum hic eſt, ad magnos effectus non ſine exercitatione iuſti temporis perueniri; vt quidam temerè exiſtimant: neque eos à nobis dari poſſe, ſed quomodo ſingula fieri debeant, clariſſime demonſtramus: ita vt illi quibus artis præcepta curæ ſunt, feliciter maximo ſuo commodo & vtilitate progrediantur: in

quo vnus alium ſuperat, ſicuti in aliis artibus liberalibus, & grauioribus ſtudiis, & item in mechanicis. Nam ſi tales effectus ſine ſtudio, & applicandi labore vendi poſſent, non ſex vel 12. aureis Gallicis, ſed mille ducentis, duobus aut tribus millibus, aut pluribus eſſent redimendi: neque deeſſent emptores.

Nihil tamen tradimus quod mediocri & diſcreto exercitio conſequi non poſſint auditores; alioqui vanum & ridiculum eſſet, viris doctis & perſpicacibus offerre qui talia profitentem contemnerent, proſcriberent, & caſtigarent.

Nunc verò multorum fide digniſſimorum ex certa ſcientia & experientia iudicantium & atteſtantium ſcriptis ſigillo munitis conſtat; & per examen iuſſu magnificentiſſimi ampliſſimiq́ue D. Cancellarij Franciæ præmiſſum, & iniunctum clariſſimo D. Marillac, Magiſtro libellorum ſupplicum Lutetiæ, Regiúmque Priuilegium, rem longè aliter ſe habere:

habere : ideoque poſt viginti annorum in diuerſis regionibus (ex quibus duodecim in Gallia tranſacti) profeſſionem , de veritate & vtilitate artis , nemo iuſtam habet occaſionem dubitandi.


***


FINIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

SVyuant le priuilege & mandement de S. M. à tous Preuosts des terres de son obeissance, & à tous ses amés Iusticiers & Officiers, & à chacun d'eux ainsi qu'il appartiendra, est permis à Barthelemy Vincent Marchand Libraire à Lyon, d'Imprimer vendre & debiter les liures intitulés. *Fundamenta Artificiala memoriæ. Vita Ciceronis in Epitomen secundùm artem Mnemonicam redacta.* Εἰσαγωγὴ *seu introductio in Artificiosam memoriam. Et* ΧΡΙΣΙΣ *Iani Phaosphori in Schenckelium.* durant le temps & espace de neuf ans à commencer du iour & datte de ladite Impression paracheuée, auec deffences à toutes personnes de quelque estat, vacation & cõdition qu'ils soyẽt, d'en vendre ou debiter, ny d'en estre saisi d'vn ou de plusieurs exemplaires autres que ceux Imprimés par ledit Vincent, à peine de confiscation des exemplaires, & autres peines portées par iceluy, qui fut donné à Paris les iour, mois & an y contenus, Signé & deüement seellé du grand seel de cire iaune.

Acheué d'Imprimer le tresiezme de Septembre, 1619.





T Fletcher



S.S. PATER BENEDICTVS,
Monachorum in Occident Patriarcha I. Henrichemont ſwelinck. Fe